# SCVTVM REGIVM.

id est,

## ADVERSVS OMNES REGICIDAS ET REGICIDARVM PATRONOS, AB INITIO mundi vsque ad interitum PHOCAE

*Imp. circa annum ab Incarnatione* Domini 610. Ecclesiæ Catholicæ consensus *Orthodoxus.*

In tres Libros diuisus, quorum

1. *Primus continet testimonia & exempla Sacræ Scripturæ vtriusq; testamenti.*
2. *Secundus Ecclesiæ Primitiuæ in patientiam & erga Principes obedientiã, sub dicẽ grauissimis persecutionib⁹.*
3. *Tertius Orthodoxorum fidelitatem in Hæreticos, & nefarios Imp. ab Imperio* Constantini *Magni vsque ad exitum* Phocæ,

Authore *Georgio Hakewill*, Sacræ Theologiæ Doctore è Coll. Exoniensi in Academia Oxon.

LONDINI.
Excudebat *W. Stansby* pro *Iohanne Rudge*, & ab eo venundantur in officina ad Australem Ianuam D. *Pauli*, & ad Britanniæ Bursam. 1613.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, *DOMINO* HENRICO, *INVICTISSIMI ET AVGVSTISSIMI* IACOBI MAGNAE BRITANNIAE, *Franciæ, & Hiberniæ, Regis filio natu maximo, Principi Walliæ,* Duci Cornubiæ, & Comiti Ceſtriæ.

*DVo ſunt (flos & delicia Gentis Britannicæ,* HENRICE PRINCEPS) *quæ me ad hoc penſum ſubeundum animârunt; vnum, quod nullum viderim Latinè ſaltem, hanc controverſiam, huius ani maximam, hac methodo prius eventilantem: alterum, quod neceſſarium duxerim, debere, multorum*

*licet eadem repetentium linguas & calamos in ea, cum sit tanti ponderis, discutienda desudare, vt veneno antidotum, longe lateq; per venas Christiani orbis grassanti, eo velocius & valentius possit obuiare. Non sum nescius, viros grauissimos, tam è nostris quàm transmarinis partibus, (Serenissimo* IACOBO *duce) in hanc palæstram iampridem descendisse, & cum suis antagonistis fœliciter congressos: sed illi aduersariorum tortuosa sophismata insequuti, quam sibi proposuerunt palmam assequuti sunt: ego verò filum historiæ, & ductum temporis sequutus, contendo magis discendi cupidos instruere, quam os obstruere oblatrantibus: quanquam, qui veritatem astruit, errorem pariter non possit nõ destruere, cum rectum sit index sui, & obliqui. Veruntamen (vt semel dicam quod res est) cum me measq; Meditationes, huc vsque intra primauam Ecclesiæ puritatem, tanquam summitatem Olympi compegerim, non fuit cur in errorum dissoluendis nebulis, aut ventis contradictionum sopiendis, me nudum fatigarem, sine nulla in regibus coercendis populi tempestas, Papismi caligo nulla. Paulò inferius quidem, ad medium huius montis,*



*ortum*

*ortum & vibratum in Imperatorum capita excommunicationis & anathematis fulmen: Sed illud plerumq; brutum. Ad penam vero depositionis & internecionis tonitru. Confulatur* Bellarmini *Catalogus testium*, Libro suo aduersus Barclaium, *de temporali pontificis potestate præfixus, & quæ dixi vera esse, quisquis non malitiosè cæcus facilè deprehendet. Cum primus & antiquissimus quem* Barclaio *opponit, è natione* Italica *sit* Gregorius VII. *è* Gallica S^t. Bernardus, *ex* Hispanica Raymundus, *è* Germanica Stephanus Episcopus Halberstadensis, *ex* Anglica Alexander Halensis, *è* Scotica Franciscus Maironus: *quorum testimonia, quàm appositè allegata sint, alias dehinc dabitur (ut spero) examinandi occasio. Ego contra in piluerem & aciem educo, præter vtrius q; testamenti exempla & præcepta*, Ignatium, Tertullianum, Cyprianum, Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium, *totius Ecclesiæ Primitiuæ praxin & Synodorum consensum. Neque defuerunt in quolibet deinceps seculo, (tonante licet & omnia permiscente Anti-*

*Christo) qui hanc veritati facem praetulerunt: imò neque desunt hac nostra aetate, vel vnquam in posterum deerunt, ex ipsis Pontificiorum Scholis oriundi, qui* Bellarmini, *de hac Pontificis potestate Transcendentali sententiam palam & aperte oppugnare non verebuntur: licet credere fas, eandem esse opinionem totius* Societatis Iesuitiæ, Collegij Cardinalium, *& ipsius* Romani Pontificis. *Quò magis laudo & veneror, Cordatissimi* Senatus Parisiensis, *in* Cardinalis *libro aduersus* Barclaium *inhibendo & flammis adiudicando, animositatem & prudentiam: Cuius tanta, etiam patrum nostrorum memoria, in suorum regum personas vigilantia, tantus zelus fuit, vt cum quidam* Normandiæ *Nobilis, se regem* Franciscum, *eius nominis primum, occidere voluisse* Franciscano *Sodali religiose confiteretur, ab eo scelerata istius cogitationis veniam efflagitans: Rege à fratriculo sceleris admonito, & confitentem reum Iudicibus* Curiæ Parisiensis *sisti iubente, ab illis propter cogitationem tantùm, eamq; in Sacramentali Confessione patefactam, Capitis damnatus est. Ita sacra semper fuerunt apud omnes bonos & pios*

Tholos. l. de Repub. 26. cap. 7.

regum

*regum personæ. Verumtamen, licet tantæ sint maiestatis prærogatiuæ, regnantis occurrat animo,*

Non tam quid liceat, quam quid feciſſe deceb it.

*Et illud* Plinij in Panégyrias : tu nihil amplius tibi vis licere, quam nobis, sic fit, vt nos tibi plus velimus. Nam vt fœlicitatis tuæ est posse quantum velis : sic magnitudinis velle quantum possis.

*Verum Celsitudinem vestram ab ipsa libri Lectione vlterius non morabor, (si tamen in eo quicquam occurrat, quod à tanto Principe abſq; nauſea libetur) de quo illud* Kemidontij *de* Frederico III. Comite Palatino, *iustum, verum :*

Qui te non vult, FREDERICE, videre cupiuit.
Et qui te vidit, captus amore tui est.

*In cuius vnius vultu, tuorum omnium Prædeceſſorum virtutes ſingulas, Collectim vnitas videre videor. Quare, nec prorsus diffido, te huic Scuto meo, Scutum futurum, præsertim cum in eo protegendo, ſalutem tuam, tuorumq; protegas, eoq; confido magis, quod me non ita pridem in Ædibus tuis* Woodstochianis, *de hoc ipso ſubiecto inter concionandum, nonnulla ingerentem, gratioſè & patienter audieris.*

*Faxit Æternum numen, vt spei de te concepte, & votis publicis, res ipsa respondeat, quod euenturum facile sperem, si illud in oculo, in aure, in animo semper geras:*

Et Pater Æneas, & auunculus excitus Hector,

Celsitudinis vestræ hummillimus seruus.

*Georgius Hakewil.*

# Index Capitum, quæ continentur his tribus LIBRIS.

## LIBER I.

CAP. I.

DE atrocitate Homicidij.

CAP. II.

*Quàm horrendum sit piaculum, violentas manus in sacras Principum personas injecere.*

CAP. III.

*Complectens exemplum* Caini & Iacobi *Patriarchæ.*

CAP. IV.

*De patientia Iudæorum in servitute Ægyptiaca, & erga* Mosen *obedientia.*

CAP. V.

*De interitu* Eglonis *per manus* Aod, *& septuaginta virorum à regia stirpe per* Abimelech & Sichemitas.

CAP.

CAP. VI.

*De explicatione loci difficilis ad regiam potestatem pertinentis.* 1. Sam. 8.

CAP. VII.

*De admirabili* Davidis *erga* Saulem *obedientia.*

CAP. VIII.

*De proditione* Absolonis *&* Seba, *& eorundem miserando exitu.*

CAP. IX.

*De miserando exitu* Ieroboam, Baasath, *&* Zamri.

CAP. X.

*De vindicta in* Athaliam *alios q; Regicidas.*

CAP. XI.

*Quomodo perierint* Ammonis *percussores, & Iudei se gesserunt erga* Nabucodonosorem *in captiuitate Babylonica.*

CAP. XII.

*De supplicio* Bagathan *&* Tharez, *& Iudaeorum patientia sub* Assuero.

CAP. XIII.

*De Iudaeorum sub* Antiochi *tyrannide patientia.*

CAP. XIIII.

*De Saluatoris obedientia erga Principes & Magistratus.*

CAP.

CAP. XV.
*De Apostolorum praxi & monitis.*

# De sacris Imperatorum *personis Ecclesiæ primitiuæ* decem persequutionibus.

## *LIBER II.*

CAP. I.
DE *obedientia Christianorum in* Neronem, *sub persequutione prima.*
CAP. II.
*De obedientia Christianorum in* Domitianum *sub persequutione secunda.*
CAP. III.
*De obedientia Christianorum, in* Trajanum *sub persequutione tertia.*
CAP. IIII.
*De obedientia Christianorum in* Adrianum, Antonium, Pium, & Commodum *Imperat. sub persequutione quarta.*
CAP. V.
*De obedientia Christianarum, erga* Seuerum *Imp. sub persequutione quintâ.*

CAP.

CAP. III.

*De miserando exitu Magnentij tyranni & fidelitate Orthodoxorum in* Constantium Arrianum, *præcipuè verò* Athanasij.

CAP. III.

*De fidelitate Christianorum erga* Julianum *Apostatam.*

CAP. IV.

*De Christiana Orthodoxorum, præsertim vero* Basilij *cognomento* Magni *obedientia erga* Valentem *Imperatorem Hæresi Arriana infectum.*

CAP. V.

*De vindicta diuina in* Maximum, Gratiani *interfectorem, & obedientiam Orthodoxorum præsertim verò* Ambrosij *in* Valentinianum Iuniorem, *Arrianum, &* Theodosium *Seniorem.*

CAP. VI.

*Quomodo* Chrysostomus *se gesserit erga* Arcadium & Eudoxiam *sui oppressores.*

CAP. VII.

*De obedientia* Cyrilli, & Concilij Ephesini, *erga* Theodosium Iuniorem, *sui perturbatorem & persequutorem.*

CAP.

CAP. VI.

*De obedientia Christianorum in Maximinum Imp. sub persequutione sexta.*

CAP. VII.

*De obedientia Christianorum in* Decium *&* Gordianum *Imp. sub persequutione septima.*

CAP. VIII.

*De obedientia Christianorum erga* Valerianum, *Imperator. sub persequutione octaua.*

CAP. IX.

*De obedientia Christianorum in* Aurelianum *persequutione nonâ grassante.*

CAP. X.

*De obedientia Christiana in* Dioclet. *Et* Maxim. *sub persequutione decima.*

## Ab initio Imperij *Constantini, vsque ad interitum* Phocæ.

### *LIBER III.*

CAP. I.

*DE fidelitate Hæreticorum & Paganorum in* Constantinum, *&* Christianorum *in* Licinium.

CAP.

CAP. VIII.

*De obedientia Orthodoxorum omnium, imprimis verò Romanorum pontificum erga* Anastasium *Imperator. Eutychianum.*

CAP. IX.

*De obedientia* Iustiniano *præstita, licet in Hæresim lapsus fuerit; & testimonio* Agapeti *de immunitate Regum.*

CAP. X.

*De testimonio* Gregorij Magni, *& interitu* Phocæ, Mauritij *interfectoris.*

SCVTVM

# SCVTVM REGIVM.

## CAP. I.

*De atrocitate Homicidij.*

TRIBVS [a] diversis temporibus, ante Legem *Mosis*, in Lege *Mosis*, & tempore Legis Evangelicæ, sub initium nascentis Ecclesiæ, vetitum esse sanguinis esum legimus; quo vehementius scilicet homines (ut rectè interpretatur antiquitas) ab humani sanguinis effusione deterrerentur. Nec mirum certè, cùm tanta sit hujus peccati enormitas, ut inter [b] quatuor *clamantia peccata* in sacris codicibus, primum locum teneat; & post ipsum originale secundum. [c] *Vox sanguinis, fratris*

a *Gen.9. Levit.17. Act.15.*

b *Gen. 18. Exod.3. Iud. 5.*

c *Gen.4.*

*tris tui, clamat ad me de terra* (inquit Dominus ad *Cainum:*) ſiccinè vero? ſanguis vocem habet? & vocem clamantem? & clamantem de terra uſque ad cœlum? penetrantem nubes? & pulſantem aures Iehovæ? ita planè eſt, ut qui hominum fortaſſis, vel cenſuras, vel aſpectus effugerit; divini tamen Numinis juſtam ſentiat vindictam, (nam ubi deſinit humana juſtitia, ibi incipit divina:) [c] *Ecce enim Dominus egredietur de ſuo loco, ut viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & revelabit Terra ſanguinem ſuum, & non operiat vltra interfectos ſuos.* Neque enim aliud peccatum eſt, quod Deus ipſe propriâ manu graviùs & frequentiùs ulciſcatur. Vndè Gen. 9, non legitur, *Requiretur anima hominis de manu fratris ejus:* ſed, *Ego requiram animam hominis:* quin & ratio ſubindè attexitur, *ad imaginem quippe Dei, factus eſt homo*; ita nempe à Conditore ſuo comparata eſt hominis natura, ut ſingulis peccatis in eam impreſſis vitietur Dei imago, hoc unico autem quodammodo diſſoluatur. Pulchrè in illa verba [f] *Chryſoſtomus* (ut ſolet omnia:)

c Eſ. 26. 21

f Hom. 27. in Gen.

nia): Ingens, inquit, terror astrictus est, quasi diceretur, Si te non revocat à cæde hominis, quòd ejusdem tibi naturæ est, si adeò totus animo sceleratus & impius es, ut fraternum fœdus violare pro nihilo habeas, omnemquè compassionem & sensum humanitatis exueris: cogita, quòd ad imaginem Dei factus est, & quantis eum Deus dignatus sit prærogativis; & quod omnis creaturæ dominatu atque imperio dignatus sit: & hæc cogitatio à tam immani proposito te cohibebit. Quibus mihi adjicere liceat; si Principis statuam deturbans aut confringens, severè puniatur, quanto magis dissipans vivum illud atq; intelligens Dei simulachrum, in cujus compage omnium creaturarum flores & eminentias, tam mirabili unione ipse naturæ sator colligauit? quòd tantum brutis præstat animantibus figura corporis, majestate vultus, temperie carnis, & præsertim activitate mentis; quantum ipsa bruta animantia inanimatis, truncis & lapidibus. Vnicum ego primi homicidæ horrendum spectaculum, in scenam proferam: de

eo Gen. 4. ſcriptum legimus: quod cùm *Abelem* fratrem ſuum interfeciſſet, divinam in eum latam ſententiam, primò maledictionis in perſonam ipſius, *nunc igitur maledictus eris ſuper terram*: deinde in facultates & opera manuum, *Cum operatus fueris eam non dabit tibi fructus ſuos*: Tertiò, in famam & nominis æſtimationem, *vagus & profugus eris ſuper terram*. Maledictionem corporis, ſequitur animi deſperatio, *Dixitque Cain ad Dominum, major eſt iniquitas mea quàm ut veniam merear*: animi denique deſperationem horror & anxietas conſcientiæ, *Omnis qui invenerit me, occidet me*: & quod omnium miſerrimum fuit, tædebat vivere, & tamen mori non potuit: *Omnis qui occiderit Cain ſeptuplum puniatur: poſuitq; Dominus in Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum*, quod ſignum, conſentiunt antiquiores plærique, fuiſſe inſignem totius corporis, & præcipuè capitis tremorem, *egreſſuſque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam*. Hinc Deut. 21. tantum Ceremoniarum, tamquè accurata ſolennitas,

tas, ad expiationem urbis à sanguine occisi ex mandato Legis Mosaicæ. *Quando inventum fuerit, in terra quam Dominus Deus daturus est tibi hominis cadaver occisi, & ignorabitur cædis reus; egredientur majores natu, & Iudices tui, & metientur à loco cadaueris singularum per circuitum spatia civitatum, & quam viciniorem cæteris esse perspexerint, Seniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terram scidit vomere, & ducent eā mad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem accepit, & cædent in ea cervices vitulæ, accedentque Sacerdotes filii Levi (quos elegerit Dominus Deus, ut ministrent ei, & benedicant in nomine ejus) & ad verbum eorum omne negotium pendeat, & quicquid mundum vel immundum est, judicatur, & venient majores natu civitatis illius ad interfectum, levabuntq; manus suas super vitulam quæ in valle percussa est, & dicent, manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt: propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti (Domine) & ne reputes sanguinem innocentem in*

*medio populi tui, & auferetur ab eis reatus sanguinis.* Equidem non memini, per totam Legem Mosaicam in gente Israelitica, ab aliquo peccato expiandæ, magis exquisitam, & curiosam mandari Cæremoniarum observationem: nec mirum certè, cùm tam atrox sit facinus homicidium, ut Deo ipso jubente, nullum habeat sacrificium: g *Non accipies pretium ab eo qui reus est sanguinis*, Sanctuarium nullum, h *si quis de industria occiderit proximum suum, aut per insidias; ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Et juxta mandatum hoc, Regum sapientissimus, jussit i *Benajam* filium *Ioidæ Ioabum* homicidam, licèt in ipso stantem tabernaculo, & tenentem cornua altaris, interficere. Nec ea est tantùm Legis divinæ in hoc piaculo coercendo severitas, sed humanarum omnium, tam *Imperialium*, quàm *municipalium* unanimis conspiratio. Quin & k *Iure pontificio* cautum est, ut vel fortuitò hominem occidens, à sacris ordinibus in perpetuum arceatur. Et ne inultus evaderet homicida, miraculum quasi in hoc scelere detegendo frequentèr operatus est Deus;

g *Num.* 35.

h *Exod.* 21.

i *Reg.* 3. 2.

k *Lib.* 1. *Instit. Juris Canon. cap.* 25.

Deus; ut præsente percussore, ipsum exangue cadaver, recentem sanguinem effundat: quod licèt ad antipathiam alii, malim tamen ego, ad omnipotentem Dei digitum referre: ita Deo pariter & hominibus, Christianis & Barbaris, odiosum est, semperque fuit, vel ipsum homicidii nomen: res verò ipsa horroris plena. Concludamus itaquè cum Regio Psalmista, [l] *Libera me Domine, de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ:* eòque expetamus ardentiùs, quia (ut idem alibi:) [m] *Viri sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos:* vel enim sibimet ipsis violentam mortem consciscunt, vel publico Magistratus gladio cadunt, vel in duello pereunt, vel ipsius Dei digito feriuntur. Consulantur Historiæ, revolvantur Annales, & quotusquisque inveniatur homicida, cujus dies nō fuerint dimidiati? ita ut intuens iratum Iudicem, expectans cruentum carnificem, sentiens mordentem conscientiam, metuens creaturas sanguinis vindices, in squalore viveret, & cum infamia moreretur. Stat enim, & in æternum stabit divini veritas oraculi, [n] *Non*

l *Psal.* 5. 15.

m *Psal.* 54. 27.

n *Num.* 35. 31.

*medio populi tui, & auferetur ab eis reatus sanguinis.* Equidem non memini, per totam Legem Mosaicam in gente Israelitica, ab aliquo peccato expiandæ, magis exquisitam, & curiosam mandari Cæremoniarum observationem: nec mirum certè, cùm tam atrox sit facinus homicidium, ut Deo ipso jubente, nullum habeat sacrificium: [g] *Non accipies pretium ab eo qui reus est sanguinis*, Sanctuarium nullum, [h] *si quis de industria occiderit proximum suum, aut per insidias; ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Et juxta mandatum hoc, Regum sapientissimus, jussit [i] *Benajam* filium *Joidæ Joabum* homicidam, licèt in ipso stantem tabernaculo, & tenentem cornua altaris, interficere. Nec ea est tantùm Legis divinæ in hoc piaculo coercendo severitas, sed humanarum omnium, tam *Imperialium*, quàm *municipalium* unanimis conspiratio. Quin & [k] *Iure pontificio* cautum est, ut vel fortuitò hominem occidens, à sacris ordinibus in perpetuum arceatur. Et ne inultus evaderet homicida, miraculum quasi in hoc scelere detegendo frequentèr operatus est Deus;

g *Num.* 35.

h *Exod.* 21.

i *Reg.* 3. 2.

k *Lib.* 1. *Instit. Juris Canon. cap.* 25.

Deus; ut præsente percussore, ipsum exangue cadaver, recentem sanguinem effundat: quod licèt ad antipathiam alii, malim tamen ego, ad omnipotentem Dei digitum referre: ita Deo pariter & hominibus, Christianis & Barbaris, odiosum est, semperque fuit, vel ipsum homicidii nomen: res verò ipsa horroris plena. Concludamus itaquè cum Regio Psalmista, [l] *Libera me Domine, de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ:* eòque expetamus ardentiùs, quia (ut idem alibi:) [m] *Viri sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos:* vel enim sibimet ipsis violentam mortem consciscunt, vel publico Magistratus gladio cadunt, vel in duello pereunt, vel ipsius Dei digito feriuntur. Consulantur Historiæ, revolvantur Annales, & quotusquisque inveniatur homicida, cujus dies nō fuerint dimidiati? ita ut intuens iratum Iudicem, expectans cruentum carnificem, sentiens mordentem conscientiam, metuens creaturas sanguinis vindices, in squalore viveret, & cum infamia moreretur. Stat enim, & in æternum stabit divini veritas oraculi, [n] *Non*

l *Psal.* 5. 15.

m *Psal.* 54. 27.

n *Num.* 35. 31.

*aliter terra ab innocentis cruore expiari poteſt, niſi per ejus ſanguinem qui innocentis fuderit.*

## Cap. II.

*Quàm horrendum ſit piaculum, violentas manus in ſacras Principum perſonas injcere.*

SI ſimplex homicidium, ita Deo & hominibus execrandum ſit, cogitate (quanquam vel ipſa cogitatio vix aſſequi poſſit) quàm horrendum ſit piaculum, in ſacroſancta Principum capita involare, qui cæteris hominibus tantum præſtant, quantum ipſi homines brutis animantibus. Cùm enim alii homines in natura imaginem Dei gerant: Principes tum naturâ, tum officio, tum etiam eorum aliqui ingenita miracula edendi virtute. Et cùm alii magiſtratus Principis vices gerant, ipſi Principes ſolius Dei, illi ſoli ſuarum actionum rationem reddituri: & ſi rectè adminiſtraverint, ab eo ſolo pro coronis corruptibilib⁹, immarceſcibiles accepturi.

Atque

Atquè hinc est, quòd in sacra Pagina, peculiari modo, *cor Regis in manu Dei esse dicatur*, juxta illud, o *Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt.* Nec tantùm imaginis Dei, aut filiorum ejus titulo insigniuntur; sed à *Davide*; imò, ab ipso Deo, dii appellantur: p *Ego dixi, dij estis*: & ad *Samuelem*, q *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*: quia scilicet & in loco Dei sedent, & personam Dei representant, & Dei judicia exequuntur, & naturalem Dei filium unctione imitantur, & denique à Deo coronas & sceptra immediatè tenent. In ipsos igitur insurgere, quid aliud demùm est, quàm in Deum ipsum Gygantomachian instituere, & pulcherrimum hujus universi ordinem miscere & demoliri? Memorat *Aristoteles* in lib. *De mundo*, in *Minervæ statua*, oculum ita artificiosè intertextum, ut inde evellere, si quis vellet, non aliter posset, quàm si totum solveret simulachrum. Certè oculus Reip. est Princeps, qui exinde violenter eximi non aliter potest, quàm ut totius Reipub. fabrica & compages, si

o Pro. 8. 15.

p Psal. 81. 6

q 1 Sa. 8. 7.

non

non collabascat, concutiatur saltem. Si itaque hic oculus tenebrosus sit, certè magnæ, necesse est, sint tenebræ totius corporis: tamen satiùs puto, ut judicio divino reservetur, quàm cum totius corporis periculo evellatur, ne ipso morbo deterius remedium inveniatur. Ad Chyrographum cœleste redeo: [r] *Dijs non detrahes, & Principi populi tui non maledices*, inquit Dominus per *Mosen*; & per Davidem, [s] *Nolite tangere Christos meos*: & per *Salomonem*, [t] *In cogitatione tua Regine detrahas, quia & aves cæli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas annuntiabunt sententiam*: tantum abest, ut trucidare permittat, ut ne maledicere quidem, ne in secreto cubiculi, aut malitiosè tangere liceat. Memînit *Marcus Cicero* in [u] Oratione sua pro *Sexto Roscio Amerino*, Romanos, Cùm intelligerent nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitasse: ut quos naturâ ipsâ retinere in officio non potuisset, ij magnitudine pœnæ maleficio summoverentur, insui voluerunt in culeam vivos

r *Exod.* 22.

s *Psal.* 104.

t *Eccles.* 10.

u *Circa medium.*

atque

atque ita in flumen deijci. O ſingularem ſapientiam (inquit idem *Tullius*) nonne videntur hunc hominem ex rerum naturâ penitùs ſuſtuliſſe, cui repentè cœlum, ſolem, aquam, terramque ademerunt, ut qui eum necaſſet, unde ipſe natus eſſet, careret eis rebus omnibus, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. Quid tam cõmune eſt quàm ſpiritus vivis? terra mortuis? mare fluctuantibus? littus ejectis? ita tamen hi dum poſſunt, vivunt, ut ducere animam de cœlo non queant, ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat, ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur, ita poſtremò ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant. Supplicium equidem per inſigne, peccato tamen diſpar: *quia vel malo Patri ſatis magna gratia nunquam referri poteſt.* Etſi parricidæ tantum meruerint, quid demùm Regicidæ? ſi tantopere devovendus, qui privatum patrem occiderit, quomodo qui publicum Patrem patriæ, paſtorem populi, lumen oculorum, narium ſpiritum, cordis jubilum? Certè, ſi quid noſtro ſupplicio

*forti*

*forti & duro*, fortius aut durius excogitari possit, dignum illud omne, quod in tale humani generis monstrum effundatur: imò, ipse dignus qui secum in morte socios habeat, quorum in vita sese imitatorem ostendit. quod olim etiam in parricidæ supplicio factitatum perhibetur, *gallum scilicet, viperam, simiam, & canem; gallum, quia ut iste parentem suum aggredi non veretur, ita nec Regicida tàm suum quàm patriæ communem parentem; viperam, quia ipsius viscera corrodit, cujus beneficio luce fruitur; simiam, quia cùm externam hominis figuram gestet, vilissima bestia deteriórem animum induit; canem denique, ut hujus animalis in suum dominum fidelitas hujusmodi portenti condemnat perfidiam. *Caii Cæsaris* exemplum nobis erit instar omnium, quod eo libentiùs è prophana Historia profero, quia in sequentibus me paulò strictiùs intra ecclesiasticæ limites statui compingere. Hic itaque licet vi & armis statum illius Reip. ad unius principatum evexerit, ejus tamen percussores omnes, qui nihilominùs

* *Cujus supplicio non debuit unà parari. Simia nec serpens unus nec culeus unus*, Iuve. Sat. 8.

minus venditabant ſe ſtare pro illibata Reipub. libertate adverſus tyrannum; poſteà à Deo percuſſos Hiſtoriographi, qui de ejus vita & morte aliquid literis tradiderant, diligenter obſervaverunt omnes. Profitetur [y] *Appianus* ſe duos integros Libros, tertium & quartum de civilibus Romanorum bellis, in accurata hujus eventus diſquiſitione impendere: [z] *Plutarchus* verò ipſe quidem Græcus, ſed in rebus Romanis verſatiſſimus pariter & oculatiſſimus his verbis hanc Tragœdiam ſuo more gentilitio elegantèr deſcribit: Magnus ille ſuus, quo viuens uſus erat Genius, ejus quoque defuncti necis authores, ultor ſubſequutus eſt: omnes namque terras & maria peragrans eoſque inveſtigavit, ut ex percuſſoribus neminem relinqueret, quin in ſtragem dederit univerſos: cæterùm, ex humanis quidem rebus id præcipuè admirationis extitit, quod *Caſſio* evenit, eodem ſiquidem pugione, quo in *Cæſarem* uſus fuerat, ſeipſum interemit: ex divinis autem, ſtella ingens crinita, quæ cùm poſt *Cæſaris* intetitum ad ſeptem uſque noctes eximio

y *In princip lib. 1. de bellis civil.*

z *In vitâ Caii Cæſaris*

eximio fulgore apparuiſſet, poſteà nunquam viſa comparuit: hactenus *Plutarchus*. Quin & *Cremutius Cordus* apud [a] *Cornelium Tacitum* (imperante *Tiberio*) in jus vocatur, quod editis Annalibus M. *Brutum* & C. *Caßium*, *Romanorum ultimos* dixiſſet, quæ eo ſenſu à me alligata intelligi velim; non quod putem Tyrannum poſſe licitè in civium capita, & fortunas, pro ſua libidine graſſari; aut quaſi illa *Caligulæ* vox placeret, [b] *ſibi omnia, & in omnes licere*: ſed ut probem utcunque graſſantem, ſi legitimè imperio fruatur, non poſſe licitè à ſuis civibus, aut quolibet alio interfici. Audi divinum *Senecam*, quem licèt ethnicum in eccleſiaſticorum Scriptorum catalogo reponere S. *Hieronymus*, non eſt veritus, [c] *Rex*, inquit, *ſi nocentem punit, cedendum eſt juſticiæ, ſi innocentem, cedendum eſt fortunæ*: id eſt, (ut ipſe alibi) divinæ providentiæ: ſiquidem [d] *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos Imperium eſt Iovis.*

a *Annal. lib. 4.*

b Sueton. *in vit. Cal.*

c *Lib. 2. de Ira. cap. 30.*

d Hor. *libr. 2. Od. 1.*

Cap.

## CAP. III.

*Complectens exemplum* Caini *&* Iacobi *Patriarchæ.*

SVb lege naturæ tum ſacerdotii jus, tum principatus primogenituræ fuiſſe annexa notius eſt, quàm ut à me ulteriori aliqua explicatione indigeat, unica illa *Iacobi Patriarchæ* ſufficiat vox, [e] *Ruben primogenitus meus, tua fortitudo mea, & principium roboris mei, prior in donis, major in imperio*: in donis prior ad obeundum munus ſacerdotii, & in imperio maior ad officium principatus ſubeundum: Iam verò *Cain* fuiſſe *Adami* primogenitum, vel ex ipſo nomine apparet. Quamprimùm enim eum peperiſſet, dixit *Evah*, [f] *Poſſedi hominem per Deum*, quod utique non dixiſſet, ſi alios filios ante *Cain* genuiſſet; in illos enim potiùs quàm in *Cain*, id nominis conveniebat. Non igitur mirandum, cùm in perſona *Cain* honor principatus inhæſerit, licèt fratrem ſuum crudeliter interfecerit, procacitèr Deo reſponderit,

[e] *Gen.* 29 3

[f] *Gen.* 4. 1.

reſponderit, ſceleris admiſſi veniam deſperaverit, eius occiſionem tamen tam ſeverè à Deo inhibitam, ut quicunque occiderit *Cain*, ſeptuplum puniendus foret, quod aliqui quidem factum autumant, ut reſervaretur ex Dei miſericordia in pœnitentiam: alii ex juſtitia in terroris exemplum, quorum ego neutrum inficias eo, modo illi etiam concedant, Deum hoc exemplo Eccleſiam (in ipſius vagitu quaſi & incunabulis) docere voluiſſe, etiam in cruentos, & tyrannicos Principes, violentas manus injicere cuipiam mortalium non licere. Huic opinioni, aliquod ſaltem probabilitatis lumen mihi allaturum pollicetur illud *Iacobi* exemplum, Gen. 33. qui licèt tum benedictionis paternæ, tum primogenituræ Ius ex gratia divina ſuſcepiſſet, & frater ipſius illi mortem poſt obitum patris fuiſſet interminatus; ita tamen naturalem primogenituram reſpexit, ut non modò de vi fratri ſuo referenda utcunque copiis inſtructiſſimus, nihil cogitaret: g ſed illum legatione, & per legatos munerum præſentatione prævenerit, huma-

g *Gen.* 33.

humanitate ſuperaverit, placaverit ſubmiſſione: [h] *Sic* (inquit) *vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei*: & paulò poſt, [i] *hoc unum tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conſpectu tuo Domine mi.*

Capite [k] ſequente, legimus *Simeonem* & *Levi* ob raptum ſororis ſuæ *Dinæ*, Principes terræ illius *Sichem* & *Hemor* Idololatras quidem, ſed tamen legitimos, per dolum malum interfeciſſe, ſed quo eventu? certè non alio quàm ut & incolarum iſtius loci odium, & ſui patris [l] maledictionem incurrerent. Ita enim ſilicernius ſenex, & iamiam moribundus, cùm aliis filiis benediceret eorum capita devovet: [m] *Simeon & Levi, fratres, vaſa iniquitatis, bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea; quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum, maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio illorum quia dura; dividam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.*

h *Vers.* 10.

i 15.

k *Cap.* 34.

l *Vers.* 29.

m Ge. 49. 5.

## Cap. IV.

*De patientia Iudæorum in servitute Aegyptiaca, & erga* Moſen *obedientia.*

n Exo. 1. 7. DVm in *Aegypto* [n] quaſi germinantes & multiplicati nimis creverint Iudæi, ſurrexit, inquit *Moſes*, rex novus ſuper Aegyptum, qui ignorabat *Ioſeph*, iis præpoſuit hic magiſtros operum, [o] *ut affligerent eos oneribus & affligebant, illudentes ijs & invidentes, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris, luti & lateris omnique ſamilatu, quo in terræ operibus premebantur.* Quin & ulterius, obſtetricibus imperat, ut aſſiſtentes parturientibus *Hebræorum* fœminis, ſi fœminam enixæ eſſent, reſervarent: ſin maſculum, ſtatim interficerent. Mittit intereà Deus ad *Pharaonem*, *Moſen & Aaronem*; tanquam Legatos à latere, qui pro populo intercederent, & veniam à terra *Aegyptiaca* exeundi impetrarent, ſed inde *Pharao* pervicacior factus, & duplicatæ populo preſſuræ. Dura mehercule

o Exo. 1. 11.

culè ſors, & ſervitus deploranda, corpora flagellis & oneribus oppreſſa, fortunæ direptæ, vel diſſipatæ, liberi ante oculos parentum trucidati, Duces contumeliis & maledictis laceſſiti, Religio illuſa, blaſphematus Deus, & quid interim populus? num debacchantur in Principem, aut ſeditionem meditantur? nihil minùs: ſed vires, inquies, defuerunt, quibus ſervitutis iugum excuterent; imò, audi ipſum *Pharaonem*: p *Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt*: & ſi defuiſſent vires, non potuit *Moſes* ad præſentiam *Pharaonis* non ſemel admiſſus, ſicam in manica geſtare ad iugulum vel latus ipſius fodiendum? vel cum in Aula Regia viveret, venenum illi curare propinandum? vel denique', qui tot & tam ſtupenda miracula in conſpectu *Pharaonis* operatus eſt non potuit, etiam ipſum *Pharaonem* ſi voluit miraculosè proſternere? ſed noluit Deus tale aliquod monumentum in ſacris Codicibus poſteritati traditum extare. Quid eſt igitur, quod tantis undique coarctati anguſtiis moliuntur tandē? verbulo

p Exod. 1. 9

subnectit Spiritus Sanctus, q *ingemiscentes filii Israel propter opera, vociferati sunt, ascenditq; clamor eorum ad Deum ab operibus.* En semper arma Ecclesiæ; preces & lachrymas, & tamen ne impunè grassentur, aut inultè, vel Ecclesiæ nimis insultent Tyranni, Deus ipse suis illatas vindicat iniurias; ne aut innocentes desperent, aut nocentes petulanter insolescant, ut populus erga Principem obedientiam discat, & Princeps viciſſim erga populos clementiam & mansuetudinem. Quare, non dicit, vos glorificabimini; r sed *ego glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus; & in equitibus illius, & scient Ægyptii, quia ego sum Dominus.* Neque ab hoc sensu abludit Poeta, de nequam Principibus loquens:

*Si quis sacrilegè sesq; gerat, aut iniustè,*
*Iupiter huic cælo clades immisit ab alto*
*Pestem sive famem.*

Innuens nimirum, non esse subditorum, sed Dei malorum Regum furori frænos injicere, iuxta illud *Iobi* 12. *Ipse baltheum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum:* & *Greg.* Hom. 17. *in Evangelia*

q *Exod.* 2. 24.

r *Exod.* 14. 17.

*Hesiod.*

*ſubditorum quidem culpas per paſtores percutit: ſed Paſtorum vitia per ſemetipſum ferit.* Ita populũ percutiebat per *Eli* & filios eius, ipſum verò *Eli*, eiuſque filios per ſemetipſum feriebat.

*Pharaone* iam cum curribus & equitibus ſuis in mari rubro ſubmerſo, & toto Iſraele indemni traiecto, factus eſt *Moſes* ex Dei mandato, & conſenſu populi Iudæorum Dux & Iudex. Hic itaque licèt [r] tria millia Gentes illius uno die per manus Levitarum occidi curaverit, non legimus tamen, quòd vel gladium, vel linguam adverſus eum ſtrinxerit quiſpiã; & ſi aliquando murmuraret populus, aut rebellis factus eſſet, acerbiſſimas ſemper dedit ſuæ temeritatis pœnas; [t] vel enim incendio & conflagrationibus è cœlo delapſis abſorpti ſunt, uſquè aliquando ad 14. millia: vel plaga magna nimis conſumpti, vel ab hiatu terræ aperientis os ſuum deglutiebantur, vel Serpentibus ignitis percuſſi, vel lepra perfuſi, ut *Maria* ipſius *Moſis* germana ſoror, quæ exinde (inquit Scriptura) [u] *apparuit cadens ut nix, & ab ea penè in inſtanti, uſq; ad*

[r] *Exod.* 32. 27.

[t] *Num.* 16. & 21.

[u] *Num.* 12. 10.

*medium carnis ejus devoratum est*. Quid? flamma cœlitùs dimissa? terræ hiatus? inusitata pestis? ignitî serpentes? lepra denique candens & devorans ob murmurationem & contumaciâ? quid si itaque *Mosen* à regimine exuissent suo? si à principatu deturbassent? si percussissent? si vulnerassent? si occidissent? hercle animus supplicia tanto debita piaculo

*Meminisse horret, luctuq; refugit.*

## Cap. V.

*De interitu* Eglonis *per manus* Aod, *& septuginta virorum à regia stirpe per* Abimelech & Sichemitas.

x *Iud.3.* PRogressu temporis x *Eglon* rex Moabitarum, Iudæorum usurpavit imperium. Hunc *Aod* (quem notat contextus fuisse ambo-dextrum) eodem penè modo interemit, quo illud Monachorum portentum, *Iacobus Clemens*, *Henricum* tertium Galliarum regem, ita ut hinc videatur *Clemens* sui inclementis facinoris sumpsisse exẽplar; quippe accin-

accinctus gladio ſubter ſagum, & ingreſſus ad Regem: *Verbum*, inquit, *habeo ſecretum ad te O Rex*, egreſſiſq; omnibus qui circa eum erant, ſiniſtra manu evaginavit ſicam, fixitq; eam in ventrem Regis: tamen inter hoc *Aodi*, & iſtud *Clementis* factum, illud reſtat diſcriminis, quod hic uſurpatorem, & verè tyrannum interfecerit, qui in regno Iſrael capeſſendo nec jus habebat, nec titulum: ille verò legitimum Monarcham. Hic inſuper divino ſpiritu excitatus, utpotè quem Scriptura atteſtante, ipſe Deus ſalvatorem ſuſcitavit: ille verò ſpiritu Diabolico impulſus, & Furiis agitatus infernalibus. Hic denique expreſſo populi conſenſu, (quod tamen in hoc caſu nequaquam valere, poſtcà demonſtrabimus:) ille verò quorundam Cucullatorum monitis & inſtinctu. Verùm de *Clemente* in ſequentibus amplior dabitur loquendi ſeges: de *Aod* autem aliquid etiam hoc in loco attexere volui, ne viderer corraſiſſe tantum quæ ad meas partes promovendas facerent, contraria autem & quæ à Regicidis acerrimè urgentur conſultò declinaſſe.

y *Iud. 9.*

Non ita multò poſt y *Abimelech* ſecum confœderatis *Sichemitis* aditum ſibi ad regni gubernacula patefecit, occiſione virorum ſeptuaginta è Regia ſtirpe, ſolo relicto *Ioathamo* natu minimo, ſed hujus nefandi ſceleris exitum pauliſper expectante: precatur *Ioathamus* ex amaritudine animæ ſuæ, ut egrediretur ignis de viris *Sichem*, & devoraret *Abimelech*, quod ibidem factitatum legimus. *Poſuit nempe Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech & Sichemitas, ita ut cœperint eum odiſſe, & ſcelus interfectionis ſeptuaginta virorum, & effuſionem ſanguinis eorum in eum conferre. Quare ſurrexit ac irruit in eos, cepitq; urbem, & interfectis civibus, ipſaq; vaſtata ſal in ea deſpergit, Turrim inſuper excelſam ſuccendit, & in ea mille hominum, fumo & igne vel ſuffocavit, vel combuſſit,* & ipſe tandem manu mulieris fragmen molæ deſuper jacientis illiſo capite, & confracto cerebro miſerè periit. Ita reddidit Deus malum quod fecerat *Abimelech* contra Patrem ſuum interfectis ſeptuaginta fratribus ſuis *Sichemitis* quoq; quod operati erant, retributum

tum est, & venit super eos maledictio *Iotham filij Ierubbaal. Phœbus* ille vatem dixit,

——*δεινὸν δεγένος βασιλήιον ἐστι*
*Κτείνειν.*
——*Res est gravis occidisse*
*Regalem stirpem.*

Homer. Odiss. π.

Nec minùs graviter Historicorum prudentissimus, [z] *Rarò ea moles convelli, sine convellentium exitio potest.*

z Tacit. 4. hist.

## CAP. VI.

*De explicatione loci difficilis ad regiam potestatem pertinentis.* 1. Sam. 8.

IVdicibus sæcularibus in Imperio Iudaico successerunt Ecclesiastici, qui & Iudices fuerunt simul & Sacerdotes: inter hos cùm *Samuel* suos filios substituisset, [a] *Qui non ambulaverunt in vijs ejus, sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntq; munera, & perverterunt judicium:* congregati universi majores natu Israel, venerunt ad *Samuelem*, dixeruntque ei, [b] *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis, constitue nobis Regẽ*

a vers. 3.

b vers. 5.

*ut*

*ut judicet nos*, quibus ex mandato Dei suffragatur *Samuel*, iisque paritèr effrenè futuri Regis his verbis graphicè depingit ingenium, [c] *Agros vestros, & vineas, & oliveta tollet, & dabit servis suis, servos etiam vestros & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo* [*quasi dixisset:*] hæc facturus est, non tam quod ei facere liceat, (aliter enim describitur Regis officium, Deut. 17:) sed quod ei talia molienti, vobis resistere non liceat. Quare non subnectit, vi ejus iugum excutietis, aut à solio deturbabitis, aut per insidias interficietis, aut auferetis eum veneno: sed [d] *clamabitis in die illa à facie Regis vestri quem elegistis vobis*. Nam ut prudentèr & christianè [e] *Tacitus: bonos Principes voto expetere debemus, qualescunque pati, & quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, sic luxum & avaritiam dominantium tolerare*. Rationem ipse alibi reddit, [f] *Principi summum rerum judicium Dij dederunt, subditis obsequij gloria relicta est*: & [g] *nihil tam exasperat fervorem vulneris, quàm ferendi impatientia*. Populus itaque cùm ob

c vers. 14.

d vers. 18.

e Histor. 4.

f Annal. 4.

g Egesip. l. 2.

ob Regis legitimè constituti sævitiam, alioſvè mores tyrannicos, de eo abdicando, vel interficiendo conjurat, perindè facit ac filius, qui dum justa de causa cæditur, virgam vi eripit, & extorquet è manu patris, atque in frusta concidit, vel cremat ignibus; quo facto, parentis in se animum, non ad misericordiam, sed ad iracundiam commovet, facitque, ut qui virgas fregit, mox loris vel funibus Ibericis feriatur, & tamdiu vapulet, dum rectam placandi rationem invenerit, nempè, cum lachrymis, obsecratione, precibus, & culpæ deprecatione ad miserationem flexerit.

## Cap. VII.

*De admirabili* Davidis *erga* Saulem *obedientia.*

CVm jam ex voto suo Israelitæ *Saulem* sibi Regem elegissent, ille sibi suisque posteris duplici inprimis peccato dominandi ansam præripuit. Primò, quod *Samuelem* in officio sacerdotis præveniſſet, ipseque suis manibus Deo obtulisset

obtuliſſet holocauſtum : [h] *Quodſi non feciſſes*, inquit, *adeum Samuel, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum: ſednequaquam Regnum tuum ultrà conſurget, quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum, eò quod non ſervaveris, quæ præcepit Dominus:* [i] ſecundò, quod *Amalechitas* ad internecionem uſque juſſus occidere, ſibi prædam, & regem *Agag* incolumem reſervaverit. *Propterea*, inquit, *Samuel, quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis rex.* Et paulò poſt, *abſcidit Dominus regnum Iſrael à te hodiè, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* [k] Poſteà ex Dei præcepto; tulit *Samuel* cornu Dei, & unxit *David* in Regem, & in eum infuſus eſt ſpiritus Domini à die illo, & in poſterum. Spiritus autem Domini receſſit à *Saul*, & exagitabat eum Spiritus nequam. Quare loquutus eſt *Saul* ad *Ionatham* filium ſuum, & ad omnes ſervos ſuos, ut occiderent *David*: quin & ipſe, lanceam ad eum cum pariete configendum propria manu ejaculatus eſt; licèt non ita multò antè, ſpiritus ſui furorem cantu & muſica

h 1. Sa. 13.

i 1. Sam. 15

k 1. Sam. 16 17, 18, 19, 20, 21, 22.

ſica *David* ſopiiſſet, *Goliah* Iſraelitarum terrorem (lapide è funda emiſſo) trucidaſſet, & denique ducenta Philiſtæorum *Sauli*, pro filia ejus *Michol* præſentaſſet præputia. Neque his tamen in *David* generum ſuum, & jam unctum in regem contentus injuriis, conjugem ejus alteri tradidit, ipſum ac parentes ſuos patria expulit, ejus cauſa Sacerdotes octoginta quinque, præter Sacerdotem ſummum, interfecit, Nobe eorum civitatem, unà cum viris & mulieribus, parvulis & lactantibus, ovibus & aſinis gladio percuſſit, & denique magno exercitu à loco ad locum, ejus animam tanquam pulicem aut perdicem perſequebatur. Herclè, ſi uſquam, ſi uſpiam; juſta cuiquam dari poſſit ratio regem iniuſtum è medio auferendi, *Davidi* iſta datur. Quid interim ille? quas eructat minas? quam vindictam meditatur? de tolerando quidem cogitat magis quàm de tollendo, de ferendo quàm de feriendo: imò, à feriendo tantùm abhorruit, ut cùm ſemel in ſpelunca, & iterum in tentorio ei daretur oportunitas (qua oportunior dari non potuit)

potuit) non modò manus ſuas ab iſto ſcelere cohibuit, ſed alios nimis iuvenilitèr exultantes, ſua modeſtia repreſſit, ſatellites *Saulis* militeſque eius Prætorianos, ut vigilantiùs ſuum Dominum deinceps cuſtodirent, admonuit, & inclinans pronus in terram, illum Dominum regem ſuum appellando, ſeipſum verò pulicem & mortuum canem humillimè adoravit. Neq; huius tam ſtupendæ obedientiæ aliam ullibi reddidit cauſam, quàm quòd *Saul* ſacer Deo eſſet, & ut ipſe loquitur, [l] *Chriſtus Domini: Propitius* (inquit) *ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt.* Et alibi, [m] *quis extendet manum ſuam in Chriſtum Domini & innocens erit?* opinari tamen videntur inter Orthodoxos, quos vidi, duo: ex antiquioribus, [n] *S. Auguſtinus* (quod obſervavit & urget *Mariana*) è recentioribus verò [o] *Buchanus* Academiæ Lauſannenſis Profeſſor, *Davidem* noluiſſe quidem, potuiſſe tamen ſi voluerit ex ſpeciali Privilegio divinitùs indulto licitè *Saulem* interficere. Illud tamen

l 1. *Sam.* 24 *verſ.* 7.

m 1. *Sa.* 26. 9.

n *Contra Adimant. c.* 17.

o *Loco* 49. *Inſtit. Theo.*

tamen (salva tantorum autoritate dixerim (quomodo sacris literis consonum sit, me nullo modo intelligere palàm profiteor, cùm cor *Davidis* eum percusserit, (ut inquit contextus) eò quòd tantum oram chlamidis *Saul*, idque latentèr & clanculum abscidisset; & si licitè occidi potuerit *Saul*, quorsum quæso pro iniuria tantilla tanta anxietas? pro qua sola, somniant *Rabbini*, ita in decrepita sua ætate refrixisse *David*, ut calorem à vestibus nullo modo concipere potuerit; eò quòd scilicet vestem *Saul*, ipse temerario ausu absciderit. Sed dabimus, licitè potuisse *David* ex speciali privilegio (eò quòd ipse è Dei mandato unctus esset in Regem, & *Saul* reiectus) eum interficere, sed noluisse, ne author esset exempli interficiendorum Regum; quantò minùs igitur privatus aliquis, imò tota Respub. aut potestas quæcunq; terrena & mortalis, in legitimum Principem manus audebit injicere? præsertim, cùm P *David* (ut in eodem semper prosequar perfectissimam obedientiæ Idæam) iuvenem *Amalechitam*, *Sauli* non subditum,

P 2. *Sam.* 1.

tum, ſtultè tantum gloriantem, ſe *Saul* interfeciſſe, & pro diademate & armilla (quibus eum mortuum ſpoliaverat) præmia expectantem, è veſtigio interfici mandaverit. Quin & ulterius, erga mortuum cadaver ſolitam exhibuerit reverentiam. Cùm enim ei nunciatum eſſet, quòd viri *Iabeſh Gilead* ſepeliſſent *Saul*, miſit nuncios, dixitque ad eos:

q 2 Sa. 2. 5. q *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc Domino veſtro Saul, & nunc retribuet vobis Dominus miſericordiam & veritatem, & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum iſtud.* Poſtremò, ut hunc de *Davide* ſermonem ſemel finiam (quamvis exemplum hoc niſi cum mundi fine nunquam ſit finiturum) cùm r *Iſhboſeth* filium *Saul* ex conſilio *Abner* regnum in ſe ſuſcipientem, occidiſſent *Rechab & Baanah Berothitæ* (eum dum dormiebat in inguine ſpicis tritici percutiendo) properantes totâ nocte, caput eius quaſi in triumpho ovantes, & amplam ſibi pollicentes mercedem, ad *David* in Hebron attulerunt, dixeruntque ad regem. s *Ecce caput Iſhboſeth filij Saul, inimici tui, qui*

r 2 Sam. 4.

ſ verſ. 8.

quære-

*quærebat animam tuam, & dedit Dominus domino meo regi ultionem hodiè de Saul & de semine eius* : respondens autem *Dauid, Rechab & Baanah* fratri eius, dixit ad eos: t *Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, quoniam eum qui annuntiaverat mihi, & dixerat, mortuus est Saul, qui putabat prospera nunciare, tenui & occidi eum, quantò magis nunc, cùm homines impij interfecerunt virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem eius de manu vestra? & auferam vos de terra?* u *Præcepit itaq;* David *pueris suis, & interfecerunt eos, præcidentesq; manus & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem* Ishboseth *tulerunt & sepelierunt in sepulchro* Abner *in Hebron.* Bone Deus! quisquam mortalium, qui noverit solùm quid sit conscientia, quid Scriptura, putaret regicidas, & regicidarum patronos ista omnia legere, intelligere, credere, & tamen prorsus contraria moliri, imò tum privatim in absolutionibus, tum etiam publicè, tam in scriptis, quàm in scholis docere facienda? & facientes in al-

t *vers.* 9. 10.

u *vers.* 12.

bum Sanctorum reponere? O quàm vellent sanguinarij isti, nullum prorsus huius exempli (quo nihil in illorum machinationes barbaras, è tota sacra, vel profana Historia planiùs aut plenius erui potest) in divinis Codicibus vestigium vllibi extare; sed diuina prouidentia extat, & inuitis eorum ensibus, inuitis ignibus, ad rebellionis confusionem perpetuam, & coronam obedientiæ in æternum extabit: & sanctissimus Propheta *Dauid* exurget in iudicio cum secta hac, & condemnabit; qui illud non in ore solùm, sed in corde fixum habebat acroama, quod ego in omnium Christianorum linguis, cordibus, manibus, maiusculis characteribus altè incisum cuperem, NOLITE TANGERE CHRISTOS MEOS.

## CAP. VIII.

*De proditione* Absolonis *& Seba, & eorundem miserando exitu.*

2 2. *Sam.* 13 DAuide adhuc superstite [2] *Ammon* cius primogenitus patrique in guberna-

bernatione regni, si supervixisset, (vt fas credere) successurus, cum sorore sua *Thamar* incæstum pariter & rapinam committit. Ob hoc facinus, *Absolon Ammonis* frater, eum ad conuiuium humanitèr inuitatum, & iam temulentum, occidi iubet: dignus certè *Ammon* qui etiam graviora pateretur, tu tamen *Absolon* indignus, qui vel ista faceres, filius regis, regis filio, & è regia stirpe natu maximo ad regnum iam destinato: sed peracta est hæc Tragœdia, quid tandem de *Absolone* factum? num in pace moritur? aut ordinaria morte perit? nihil minùs, sed[a] ob insignem improbitatem, & rebellionem infamis, capite, non crinibus (ut plerique putant) in quercu fortuitò suspensus, inter cœlum & terram, vtroque scilicet indignus, pendet, donec tandem à *Ioab* tribus lanceis transfossus, animam emisit. Sed de *Ioab* quid tandem factum? qui non est veritus ipse facere, ad quod faciendum alium inducere non potuit? herclè libera illa vox, *& digna notari*: [b] *Si appenderes mihi in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum*

a *Cap.* 18.

b *vers.* 12.

*meam in filium Regis*, sed suas tamen in illum intrepidè immisit [c] *Ioab*, & ipse domum in Templo, ipsa altaris cornua apprehendens, *Solomonis* iussu interfectus.

c 3. *Reg.* 2.

Eodem penè tempore accidit, vt [d] *Ibi esset vir Belial* (ut inquit contextus) *nomine* Sebah *filius* Bochri, *vir Iemineus, qui cecinit tuba, & ait: non est pars in* Dauid, *neque hæreditas in filio* Ishi, *reuertere in tabernacula tua Israel, & separatus est omnis Israel à* David, *secutusq; est* Sebah *filium* Bochri: Proditorem hunc in hanc etiam scenam introduco, non quod vt alii, regio sanguine suas manus cruentarit: sed quia, quod ad idem penè redit, seditionem commouerit, exercitum conscripserit, Regi denique suo bellum indixerit, in quo non minùs regis, quàm priuati alicuius caput fortunæ belli obiectum. Neque certè multum interest, inter occidere, & vitam non vitalem facere, vel ad occidendum viam sternere, & in omni proditionis macula illud verissimum,

d 2. *Sam.* 20

*Facinus quos inquinat, æquat.*

Sed filum Historiæ paulò ulteriùs prosequimini,

sequimini, & statim videbitis proditorem hunc, in suo volutantem sanguine, & caput ejus ex rogatu mulieris (consentiente etiam populo qui illum sequebatur) abscissum, & in manus *Ioab* de muro proiectum. Ita,

*Quem dies vidit veniens superbum,*
*Hunc dies vidit rediens iacentem.*

## Cap. IX.

*De miserando exitu* Ieroboam, Baasath, & Zamri.

Davide iam & filio eius *Solomone* in pace mortuis, per iuvenilem *Rehoboæ* eius successoris temeritatem, factum est, vt regnum inter illum & *Ieroboam* divideretur; ita vt hic decem tribus possideret, ille verò duas, hic etiam rex Israel (qui Samariam sedem habebat) vulgò diceretur, ille Iudæ qui Hierosolymam. Et videtur certè à Deo excitatus *Ieroboam*; vt ebullientem *Rehoboæ* insolentiam compesceret, & castigaret, iuxta illud: [c] *à me factum est verbum hoc.* Sed quis tamen *Ieroboæ* & familiæ

[c] 3. Reg. 12

familiæ eius exitus? audi tonantem Prophetam: [f] *Ecce ego inducam malum super domum* Ieroboam, *& percutiam de* Ieroboam *mingentem ad parietem, & clausum & nouissimũ in Israel, & mundabo reliquias domus* Ieroboam, *sicut mundari solet fimus vsq; ad purum: qui mortui fuerint de* Ieroboam *in ciuitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli, & vnus solum de filijs ipsius, in sepulchrum ingredietur, quia Dominus loquutus est.* Neque in Scriptura deinceps nominatur, nisi summa cum ignominia, & nominis fœtore, semperq; illum sibi titulum annexum gerit, tanquam captivus compedes, aut catenas: *Ieroboam filius Nebat, qui peccare fecit Israel.* Postremò, filius eius *Nebad*, cum duobus tantùm annis regnasset, à [g] *Baasah* * interfectus est, qui etiam percussit omnem domum *Ieroboam*, nec demisit, ne vnam quidem animam de semine eius; nec sic tamen multus ipse abibit *Baasah*, audi rursùs è cœlo tubam: [h] *Ecce ego demetam posteriora* Baasah, *& posteriora domus eius, & faciam domũ tuam sicut domum* Ieroboam

[f] *Cap. 14.*

[g] *Cap. 15.* * *Baasah Regi Ida interfectus.*

[h] *Cap. 16.*

*filij* Nebat: *Cũq; regnaſſet filius eius* Elah *duobus annis, rebellauit cõtra eũ ſeruus eius* Zamri *dux mediæ partis Equitũ, & irruens in domũ, vbi erat bibens & temulentus, eũ percuſſit, interfecit, & eius vice regnauit:* tãdẽ verò & ipſe * *Zamri*, ab *Amri* Principe militię expugnatus, palatiũ ingreſſus, ſeipſum vnà cũ domo regia cõflammauit, & quod peſſimum fuit, *mortuus eſt in peccatis ſuis, quæ peccauerat, faciens malũ cõrã Domino, & ambulans in via* Ieroboam, *& in peccato eius quo fecit peccare Iſrael.* Ita illius oraculi veritas inconcuſſa æternum ſtabit. i *Quicunque effuderit humanũ ſanguinem, multò magis regalem, per hominem fundetur ſanguis illius.*

* Zamri interitus miſerandus.

i Gen. 9.

## Cap. X.

*De vindicta in* Athaliam *alioſque Regicidas.*

POſthæc ſtatu regni Iſraelitici ſuſque deq; verſo, & mutationib⁹ varijs lacerato k *Athalia* illud monſtrũ ſui ſex⁹, omne ſemẽ regiũ) excepto ſolũ *Ioas* quẽ *Ioida* abſconderat) è medio tollit. Trãſacto autẽ 7. annorũ circuitu, *Ioida* Põtifex

k 4. Reg. 11

fex maximus, cũ in tẽplo abſconditũ in lucem & conſpectũ populi deducit, vngit in Regẽ & diademate, & regalib' ornamentis induit; quo nuntio experrecta *Athalia* occurrit, viditq; populũ circumquaq; manibus plaudentem & canentẽ tubis: vnde attonita ſcidit veſtimenta ſua, clamauitq; Coniuratio, Cõiuratio. *Quis tulerit Gracchos, de ſeditione querentes?* Certè non tulit *Ioida*, ſed præcepit Centurionibus, vt educerent eam extra ſepta Templi, & quicunq; eam ſequutus eſſet, gladio feriretur: *impoſuerunt́ q; ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorũ iuxta palatiũ Regis, & interfecta eſt ibi: ſic ſera venit, ſed certa tamen vindicta Deorũ*, laneos fortaſſis habent pedes, ſed plumbeas, imò ferreas man'.

*Ioas* autem, cum *Hazael* rex Syriæ iam inſtrueret exercitum, & copias educeret ad Hieroſolymam expugnãdam *perterrefactus nimis, tulit omnia ſanctificata quæ conſeruauerat* Ioſaphat & Ioram & Ochoſias *Patres eius, reges Iudæ, & quæ ipſe obtulerat, & vniuerſum argentum quod inueniri potuit in theſauris Templi Domini, & in palatio Regis, miſitq;* Hazaeli

Hazaeli *vt moueret castra, & à ciuitatis obsidione desisteret. Quare, permisit Deus; vt eius satellites* [l] Iozachar & Iozabad *aduersus eum coniurarent, & vsq; ad internecionem percuterent*; sed percussores ipsos, non ita multò post, *Amazias Ioa* filius, & in regno successor, gladio percussit: [m] *filios autem eorum, non occidit* (inquit Scriptura) *quasi dixisset*, vel consuetudinem fuisse, vt in causa perduellionis, etiam filij vnà cum patribus pœnas luerent; vel certè mereri patres, vt etiam luerent filij, licèt ipsi filij non mererentur, iuxta illud: [n] *Non morientur patres pro filijs, neq; filij pro patribus, sed vnusquisq; in peccato suo morietur.* Filijs igitur pepercit quidem *Amazias*, patribus non item, vtcunque parentis sui interitu, sibi ad regni gubernacula aditum patefeciſſent. Non enim bonis Principibus

[o] *Scelera ista nefasq;*
*Hac mercede placent.*

Nam, vel exempli causa,

[p] *Regi tuenda maximè Regum est salus.*

Veruntamen, *Amazias* quoque à suis subditis interfectus, & in eius solium suffectus

l 4. *Reg.* 12.

m *Cap.* 14.

n *Deut.* 24. *Ezec.* 18.

o *Lucan.*

p *Seneca.*

¶ 4. Reg. 15 ſuffectus ¶ *Azarias* filius eius, (quem ideò ſuſpicor cum coniuratoribus conſpiraſſe, quòd non legimus eum ſupplicio eos affeciſſe) ſed contrà, capite ſequente, eum à Domino lepra percuſſum, manſiſſeque leproſum vſque ad diem mortis ſuæ, & habitaſſe in domo libera ſeorſim.

† Cap. 25. † Circiter hoc idem tempus regnauit *Zacharias* filius *Ieroboam* ſuper Iſrael, in Samaria, coniurauit autem contra eum *Sellum* filius *Iabez*, percuſſitque eum & interfecit, regnauitque pro eo; & vix tribus verſibus interiectis aſcendit *Manahem* filius *Gadi* de *Therza*, venitque in Samariam, & percuſſit *Sellum* & interfecit eum, regnavitque pro eo; & rurſum vix interpolatis decem, contra eius filium *Phacciam*, coniurauit *Phaccia* filius *Romiliæ*, & interfecit eum, regnauitque pro eo, & denique paulò poſt, eodem in capite contra *Phaceæ* filium *Romiliæ*, coniurauit *Oſee* filius *Elæ* & interfecit eum, regnauitque pro eo, qui poſtea etiam factus eſt *Salmanaſeris* Regis Aſſyriorum tributarius & captiuus?

*Sic*

*Sic clauus clauũ, sic vnda ſuperuenit vndã,*
Sic abyſſus abyſſum inuocat, abyſſus crudelitatis & inobedientiæ, abyſſum vltionis & vindictæ, & de huiuſmodi vſurpatoribus illud Poetæ verum, iuſtum:

*Ad generum* Cereris *ſine cæde & ſanguine pauci*
*Deſcendunt Reges & ſicca morte Tyranni.*

## Cap. XI.

*Quomodo pericrint* Ammonis *percuſſores, & Iudæi ſe geſſerint erga* Nabucodonoſorem *in captiuitate Babylonica.*

SEd quid in regno *Iudæ* interea factum? ibi [ *Ammon*, filius *Manaſſis* parentis impij, impia progenies, *dereliquit Dominum Deum patrum ſuorum, & non ambulauit in via Domini, tetenderuntq; ei inſidias ſerui ſui, & interfecerunt Regem in domo ſua. Percuſſit autem populus terræ omnes, qui coniurauerant contra Regem* Ammon. Aures hic arrigite, vos Regicidæ, qui putatis populo placere quas facitis Tragœdias, cum natura, [4. Reg. 21.

ra, vel potiùs naturæ ſator, Deus, ita ad obedientiam ſubditorum corda finxerit, colla flexerit, vt licet eorum Rex Leges pariter diuinas & humanas ſpreuerit, cœlum & terram ſua graſſatione miſcuerit, omnia turbauerit; tantùm tamen abſunt à violentas manus ei inijciendo, vt in inijcientes ipſi ſtatim ſuas inijciant. Neque certè ego Regicidis tormentum optarem exquiſitius, quàm vt effrenis populi libidini & furori dimittantur, cùm nihil eorum conſcientias acriùs pungat aut lancinet intimiùs, quàm cum ſe ab ijs, quorum ſe liberatores venditant derelictos videant, imò eorum linguis confoſſos, laceratos manibus, pedibus calcatos; & certè à teſtibus fide dignis accepi *Franciſcum Rauillac*, illum incarnatum Dæmonem, *Henrici quarti* fœlicis memoriæ infauſtum percuſſorem, magis attonitos & anxios oſtendiſſe vultus ad execrationes, quas in eum plenis faucibus euomuit circumfuſa multitudo, quàm ad aſpectum aut ſenſum igniti forcipis aut plumbi, & ſulphuris ardentis.

Po-

Poſtremò in ſacroſancta hac de Iudæorum Regibus Hiſtoria, in ipſo quaſi Epilogo & Cataſtrophe, maximè inſigne & memorabile (excepto ſolùm illud *Davidis*) reſeruatur obedientiæ exemplum. [t] *Nabuchadonoſor* Aſſyriorum Rex, tum temporis Paleſtinam totam ferro & flamma vaſtaret, Hieroſolymam expugnaret, Templum vnà cum palatio Regis incenderat, ſacratiſſima vaſa expilauerat, cætera militibus (qui cædes ſtupris, ſtupra cædibus, miſcebant) diripienda dedit, Regem ipſum vnà cum filijs (poſtquam exoculaſſet) trucidauit, vrbem denique totam, & mœnia ſolo exæquauit; poſtremò, populi reliquias, quæ tantæ cladi ſuperfuerant, in miſerrimam ſeruitutem abduxit. Neque adhuc ſatis ſibi factum ratus, ſuam ſtatuam ex auro conflari, ac in loco publico ab omnibus adorari, quoties tuba exaudiretur: recuſantes in ardenti fornaci viuos concremari iuſſit. Hæc cùm in Iudæam fuiſſent allata, ſanctiſſimi Prophetæ ad captiuos literas dederunt, vt nihilominùs [u] *Pro Nabuchodonoſoris, liberorumq; eius ſalute, vota*

[t] 4. *Reg.* 25.

[u] *Baruch.* 1. *Ierem.* 29.

*vota conciperent, ac precarentur à Deo optimo maximo, vt tamdiu superstites regnarent, quamdiu cælorum orbes circa terram circumagerentur.* Et quidem Deus ipse
x Ier. 25. 9. *Nabuchodonosorem* x seruum suum, vt
y Esa. 45. 1. alibi y *Cyrum Christum suum*, appellare non dubitauit, & potentissimum insuper orbis terrarum Principem effecturum se illum,
z Ezec. 29. z testatus est. Quis autem tyrannorum (quotquot vsquam terrarum spirarunt) cum isto comparandus? qui statuam suam tam crudeli proposito supplicio à populo Dei coli iuberet, attamen
a Ezec. 29. a Vates sanctissimus, quem ex oracculo Deus ipse afflauerat, *Zedechiæ* Regis Iudæorum perfidiam aduersus *Nabuchodonosorem* (cuius erat ipse fiduciarius) verborum acerbitate abhominatur, ac iustissimè interemptum fuisse lætatur. Et meritò quidem,
b Cap. 34. quia, vt loquitur beatus b *Iob, Deus est, qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Et Deus ipse per
c Ose 13. Prophetam suum: c *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* Quare, *in* ferocientem Principem inuolare, & non potiùs Dei digitum illum

illum tanquam inſtrumentum mouentem reuereri, quid aliud demùm eſt, quàm cum rabido cane lapidem in ſe coniectum allatrare, & dentibus atterere, ad manum verò iaculantem neutiquàm reſpicere?

## Cap. XII.

### *De ſupplicio* Bagathan *&* Tharez, *& Iudæorum patientia ſub* Aſſuero.

Reſtant adhuc è canonicis Scripturis Teſtamenti veteris exempla duo, & duo tantùm, è libro *Eſther* deprompta vtraque. Vnum iuſti ſupplicij in perduelles; inuiolatæ in Regem obedientiæ alterum. Quod itaque ad primum attinet, eo tempore quo *Aſſuerus* (quem *Artaxerxem* appellat *Ioſephus*) captiuos ſub ditione ſua detinuit, Iudæos, ad ianuam Regis morabatur *Mordocheus* natione Iudæus, vbi fortè ſubodorans duos Regis Eunuchos, *Bagathan* & *Tharez* furoris œſtro aduerſus Regem percitos, in ipſius internecionem coniuraſſe, ſtatim vt reſciſceret,

ciſceret, ſecretum Reginæ aperuit, & illa viciſſim Regi. Res iudicialitèr ventilata, habent confitentes reos, & *appenſus eſt vterq́; eorum in patibulo, & iuſsit Rex, vt in libro memoriali ſcriberetur, vt pro vita ſua aliquid repenſaret ei, mandatumq́; eſt Hiſtoryis, & Annalibus traditum coram Regi.* Videtis proditionem hanc cogitatam tantùm, non affectam, & tamen proditores perinde capite plexos, ac ſi effeciſſent: ita ſacræ ſunt ſemperque fuerunt Principum perſonæ, ita execranda proditio, delatori inſuper præmium decretum, & factum in perpetuam rei memoriam Annalibus concreditum, tam ad ſempiternam delatoris laudem, quàm ad dedecus & ignominiam proditorum indelebilē. Quod ſpectat ad ſecundum, *Haman* ſummus Regis Conſiliarius, *Mardochæo*, quod ei tranſeunti non aſſurgeret valdè infenſus, ab *Aſſuero* obtinuit, vt regio nomine publicaretur Edictum, ad omnes Iudæos à puero vſque ad ſenem, paruulos & mulieres, per omnes eius prouincias, centum & viginti ſeptem diſperſos, certo die menſis trucidandos. Cum literis

teris regio annulo ſigillatis, ad hoc facinus obeundum, ad Prouinciarum Præfectos ſtatim volitant, curſores regij, in Suſa publicè pendet Edictum, ſtat decretum, reſtat ſolùm executio. Miſera herclè, & deploranda gentis Iudaicæ conditio, Edictum iniuſtiſſimũ,

*Tantæne animis Regalibus iræ*
*Vnius ob noxam?*

Sed interim, quid eſt, quod ita barbarè oppreſſi, & in tantas detruſi anguſtias tandem moliuntur Iudæi? num ſeditionem meditantur? num ad arma conuolant? aut Reginam *Eſther* ex eorum gente oriundam ſica inſtruunt? vel veneno, ad interficiendum Regem? vt ea ratione, vel ipſi in aquis turbulentis effugerent, vel communem ſolùm publicæ calamitatis ſortem ſubirent, vel ſaltem illatam ſibi iniuriam quadantenus vindicarent? nihil minus, eorum arma, vt ſemper Eccleſiæ (vt ſæpè dixi, nec tamen ſatis dici poteſt) preces & lachrymæ: *In omnibus Prouincijs, oppidis & locis* (inquit Scriptura) *quæ ad crudele Regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus,*

*& fletus, facco & cinere multis pro strato vtentibus.* *Mardochæus* scindens vestimenta sua, in platea mediæ ciuitatis, magna vociferatione clamat, ostendens amaritudinem animæ suæ: regina ad regem ingreditur, etiam cum discrimine capitis & vitæ, non cum pugiuncula in manica, aut sub sago: sed cum humili petitione in manu, non amuletis aut exorcismis confisa, vt regem percuteret, & inuisibilis consisteret, posteaque in cœlum recta auolaret; sed suo, suarumque ancillarum, & totius gentis precibus & ieiunio armata, atq; eò tandem, Deo ita disponente, res deducta est, vt ad humiles reginæ preces, cor Regis permotum esset, edictum reuocatum, Iudæi ex inferis quasi postliminio educti, *Mardochæus* supra *Hamanis* honores exaltatus, *Haman* vnà cum filijs, in patibulo, quod *Mardochæi* destinauerat, suspensus, in eandem ipse incidens foueam, quam pro alio capiendo effoderat.

*Neq; enim lex iustior vlla est*
*Quam necis artifices arte perire sua.*

CAP.

## CAP. XIII.

### *De Iudeorum sub* Antiochi *tyrannide patientia.*

INter captiuitatem Babylonicam, parùm aut nihil ad præsens propositum, præter insignem *Antiochi* tyrannidem, & memoratu dignum, accedisse legimus. [d] Hic itaque Iudæis inter se de principatu digladiantibus, ab vna parte in subsidium vocatus, vrbem vnà cum exercitu ingressus, spoliato templo, ablatis vasis sacri ministerij, & inter cætera candelabris aureis, altari aureo, mensaque Propositionis (quam vocant) ac ne auleis quidem relictis, quæ è cocco ac byssо constabant, euacuatis etiam thesauris reconditis (ita vt nihil intactum aut intemeratum relinqueret) coniecit Iudæos in luctum maximum, insuper & quotidiana sacra secundum Legis præscriptum celebrare eos vetuit, direptaque tota vrbe, habitatores partim necauit, partim captiuos vnà cum liberis & vxoribus abduxit:

[d] *Iosephus lib. 12. ca. 7*

duxit; ne his quidem est parcitum, qui quasi pacati venienti portas aperuerant: incendit præterea ædificiorum quicquid erat pulcherrimum, & demolitus mænia, in inferiori vrbe sibi arcem condidit, in Templo quoque ara posita, porcos mactauit, sacrificium à Iudæorum religione alienam, & cogebat omnes abnegato veri Dei cultu ipsius venerari numina, & oppidatim extructis Templis atque altaribus, porcinas in ijs quotidiè iugulare victimas. Comminatus est etiam grauem pœnam, si quis liberos circumcideret, constitutis qui mandata exigerent, atque etiam vi ad ea seruanda detractantes cogerent. Quamobrem, qui generosioris apud eos erant indolis, maiorem rationem habentes moris patrij, quàm pœnæ sibi per aduersarios intentatæ, quotidiè necabantur, tormentis excruciati crudelissimis, (flagris quippe cæsi, & lacerati, corpora viuorum adhuc & spirantium suffigebantur crucibus; vxores autem eorum, & circumcisos liberos, strangulabant secundum mandatum Regium, aut suspendebant à crucifixo-

rum

rum parentum ceruicibus. Abolebatur etiam, vbicunque repertum esset sacrum Volumen, & ipsi apud quos inuentum esset, malè peribant. Certè vix cogitatione assequi valeo, quid huius tyrannidis vel impietati vel crudelitati addi vllo modo potuit. Iudæi tamen à persona *Antiochi* temeranda abstinent, tantum *Asmonei* filius *Mathias* (quem *Mattathiam* appellat author *Machabæorum*) *Appellem* Regij exercitus ducem, & impietatis administrum trucidat, & in se non tam offensiuum quàm defensiuum aduersus tyrannum, (quem sol vnquam vidit efferatissimum teterrimumque) & ipsius Antichristi (si ita loqui liceat) typum, bellum suscepit, publicè exclamans: * *Si cui est cordi Religionis incolumitas me sequatur.* * Cap. 8.

## Cap. XIIII.

*De Saluatoris obedientia erga Principes & Magistratus.*

IAm tandem ad ipsius *Saluatoris* aduentum deuentum est; huius itaque

paulò accuratiùs rimemur vestigia, actionum momenta euentilemus, singulas singulæ ætatis discutiamus particulas, & minutias, & tot inueniemus obedientiæ & patientiæ symbola, quod pænè eius dicta & facta habemus Scripturarum monumentis commendata. Statim à nataliti js, cùm eum persequeretur, vitamque eius peteret *Herodes*, fugit in Egyptum, tantumque abfuit, vt *Herodi* eius animam quærenti resisteret (cùm tamen ex virtute Deitatis potuisse si vellet, nemo verè Christianus ambiget) vt post Magorum dona illi præsentata, [f] holocausto infantum pro suo nomine oblato primo glorificari voluit, neque hunc sanguinem pro se effusum, vel ipse vindicauit, vel *Bethleemiticos* suos conterraneos, quorum erant infantes trucidati, aduersus *Herodem* infanticidam concitauit.

f Mat. 2.

*Herodi* huic Patri, & eius nominis primo, successerunt eius filij, vt in regimine sic in impietate: in Iudæa *Archilaus*, in Galilæa verò *Herodes* cognominatus *Antipas*, siue *Tetrarcha*; quorum posterior *Christi* præcursorem, quod

quòd cum incestus cum *Herodiade* fratris *Philippi* coniuge commissi coarguisset, & incarcerauit, ad saltatricis rogatum mandauit eius caput amputari, & in spurcissimæ fœminæ, quæ eius sanguinem sitiebat gremium tradi[g]; quin & (si Phariſæis credendum)[h] Christum ipsum voluit interficere; neque tamen *Christus* multitudinem quæ illum turmatim sequebatur, ad seditionem prouocat, vel aliquem è fæce plebis ad *Herodem* clanculum interficiendum licitat aut conducit: sed profitetur se miracula deinceps operaturum, nec tam vereri *Herodis* minas, quàm mandata sui patris, qui tandem *Herodi* & patri & filio, iustam suorum scelerum vltionem diuinitùs immisit, vt vos Satrapæ & Dynastæ, vel hinc discatis:

*Si genus humanum & mortalia temnitis arma,*
*At sperate Deum memorem fandi atq; nefandi.*

*Archilao* in Iudæa ex *Cæsaris* mandato succedit *Pontius Pilatus*, huic etiam obediens fuit *Christus* ad mortem vsque, ad mortem crucis non minus

g *Mat.* 14.

h *Luc.* 13.

ignominiosam quam acerbam, & qui mortuos ad vitam resuscitauit, ipse vitæ fons mortem patienter tulit; qui lictores ad se apprehẽdendũ accedentes voce sola prostrauit, sententia mortis contra se lata, ne querulam vocem emisit, quidenique pluſquam duodecim legiones Angelorum, semper in procinctu habuit ad suppetias ferendas, ne gladium quidem in iustissima sui defensione contra iniustos sycophantas, & assassinos euaginari voluit; imò auriculam serui Principis Sacerdotum amputatam, miraculosè denuò sanauit. Idcò prostrauit (inquit [i] *Bernardus*) vt potentiam ostenderet, idcò sanauit vt potentiam paritèr & obedientiam, vtcunque malitiosè simul & mendacitèr, illi obtruderent Iudæi, quod *Cæsari* contradiceret, cùm priùs tamen ipse [k] *Cæsari*, quæ fuerunt *Cæsaris*, (censum licèt indebitum soluendo) tribueret, & alios etiam tribuere palam [l] hortaretur; licèt tum temporis [m] *Tiberius Cæsar* obscœna fœdaque libidine, cædibus item & periurio supra modum infamis esset; ita se gessit *Salustor* noster, cuius omnis actio

i *De passione Domini.*

k *Mat.* 17.

l *Mar.* 12.

m *Vide Suetonium in vita.*

nostra

noſtra inſtructio, in ſui temporis magiſtratus infideles, barbaros, tyrannicos; & nos qui Chriſtiani dicimur, in Principes Chriſtianos debacchamur? inſurgimus? ille faciem ſputo & alapis, ſcapulas flagris, linguam felli & aceto, caput ſpinis, totum denique corpus cruci ſubmiſit, cùm eſſet & facto innocens, & ad vindictam potens, & nos Chriſtianorum Principum auctoritatem, linguis proſcindere, gladijs iugula impetere non veremur? fac, bone Ieſu quæſumus, fac tandem vt cognoſcat & agnoſcat mundus hos ſicarios, ad tuam nullatenùs pertinere familiam: ſed ad eius ſatellitium; qui etiam, teipſo teſte, *homicida fuit ab initio.*

## Cap. XV.

*De Apoſtolorum præxi & monitis.*

S*Aluator* noſter in Euangelio, cum diſcipulis ſuam oblationem breui futuram prædixiſſet; præhenſum eum [a] *Petrus* cœpit obiurgare, dicens, *Nequaquam erit tibi hoc*, ac ſi dixiſſet, Ne deſpon-

[a] *Mat. 16.*

desponderas animum, nos pro te pugnabimus, & tu interim sartus tectus effugies, quod & postea præstitisset, nisi obstitisset ei dominus, at *Christus* conuersus dixit *Petro: Abscede à me Satana, scandalo es mihi, nam non sapis quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominum. Et dixit Iesus discipulis suis, si quis vult post me venire, abnegei seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Crucem vt ferat, non gladium, vt Magistratum (licèt iniustè ferientem) rursus non feriat: Dixit Dominus, & à discipulis factũ est: Suffragante enim ° Apostolo, *Lapidati sunt, desecti sunt, tentati sunt, gladio cæsi occubuerunt, oberrauerunt, cum ouillis & caprinis pellibus destituti, oppressi, malè habiti, quibus indignus erat mundus*, in desertis errantes, & montibus ac speluncis & cauernis terræ: non in aulis Principum delitescunt eorum vitæ, quorum iussu ista fiebant, tendentes insidias: non subditos à iuramento Principibus præstitò soluunt, aut ab obedientia illis debita dehortantur: imò, *nec Dominatum reijciunt, aut dignitates conuicijs vllo modo incessunt*, quod vt reprobationis

° Heb. 11.

nis notam in ſua *Epiſtola Catholica* obſeruauit p *Apoſtolorum* alius; ſed omnia ſine murmure perpeſſi, quæ vel ingenium humanum excogitare, vel crudelitas ipſa infligere potuit, tanquam oues ad macellum ducebantur, & pro perſecutoribus ſuis orabant: Dominum ſcilicet, quorum ſe ſeruos profitebantur imitati: q *Pater remitte eis, neſciunt enim quid faciunt.* Dum adhuc in ſuis incunabulis vagiret Eccleſia, paſſim r inſimulabantur Chriſtiani ſe neſcio quam ſibi aſſumere libertatis Chriſtianæ indulgentiam, & ordinationes politicas, vel vt diabolicas execrari, vel vt prophanas contemnere. Hinc ille in *Epiſtolis Apoſtolorum* inſertæ ſententiæ, (tanquam tot in caliginoſa nocte ſcintillantes ſtellulæ, aut in pauimento emblemata vermiculata) de obedientia ciuili magiſtratui præſtanda. *Diuus Paulus* in *Epiſtola ad Romanos*, cap. 13. hunc in modum exorditur. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto. Omnis, non Laicorum modò, ſed omnis ſimpliciter*; [ſiuè ſit *Apoſtolus*, ſiuè Euangeliſta, ſiuè Sacerdos, inquit *Chryſoſtomus.*] *Non eſt*

p *Iud.*

q *Luc.23.*

r *Act.17.7.*

*est enim potestas nisi à Deo, & quæ sunt potestates, à Deo sunt ordinatæ*: non vt quidam perperàm punctulum interjiciunt, *quæ sunt potestates à Deo, sunt ordinatæ*, vt ex sequentibus liquidiùs patet. *Quisquis igitur se opponit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi condemnationem* [*non Martyrij coronam*] *acquirunt*. Et ne quis putet illum loqui de functione tantùm & officio gubernandi, non item de magistratuum personis, quos potestates in capitis ingressu nominat, eosdem posteà Principes & Dei ministros appellat. Quin & hanc scribebat Epistolam ad Christianos Romæ commorantes, qui latinè Potestates vocabant ipsos homines potestate præditos, in potestate constitutos: quo sensu *beatus* [Epist. 48.] *Augustinus* dicit *potestatem aliquando esse inimicam veritati, quod certum est ad officium magistratus neutiquàm referri posse*. Qui itaque personæ Principis resistit, Potestati resistit, & consequentèr ordinationi diuinæ, sibique condemnationem acquirit. Quantò magis qui eius & personam & progeniē, vno eodemq; actu

actu & ictu extinguere moliuntur? Postremò, vt omnem altercandi ansam penitùs præcidat, versu quinto subnectit. *Quapropter necesse est subijci, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*: quasi dixisset, non oportet vt summum Magistratum tam propter potentiam vereamur, quàm propter locum quem tenet, & officium quod gerit, reuereamur. Neque hoc præstandum, quia per vim externam cogimur, sed quia in interno conscientiæ foro obligamur, non solùm quando magistratui resistere de facto non possumus (vt quidem autumant) sed etiam quando de facto possumus, de iure autem restricti recusamus.

*Diuo Paulo* suffragatur *Diuus Petrus*, Epistola prima, capite secundo. *Proinde subiecti estote cuiuis ordinationi humanæ*, non quia ab hominibus, sed quia inter homines constituta *propter Dominum*; quia Dominus scilicet, illius ordinationis, & author est & vindex, *siue Regi, vt qui supereminet, siue Præsidibus, vt qui per eum mittuntur, tum ad vltionem malefactorum, tum ad laudem rectè agentium*,

*tium, quoniam ita est voluntas Dei, vt benè agendo capistro frenetis amentium hominum ignorantium, vt liberi, ac non veluti malitiæ velamen, habentes libertatem, sed vt serui Dei.* Catholica fuit hæc *Petri* Epistola aduenis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bythiniam dispersis directa; quibus plurimum sæuissimos reges imperitasse fuerebitur, quisquis *Mithridatis*, *Tygranis*, *Pharnacis*, *Antiochi*, & aliorum subinde Regum Asiæ mores ex Historijs didicerit. Quare non est, quod obganniant Regicidæ, distinguendo, vbi lex non distinguit: hîc loqui *Apostolum* de bonis Regibus non item de prauis: quod perinde est, ac si quis filium immorigerum mandato premeret: *honora patrem* ille verò regeneret, patrem bonum esse honorandum quidem, non item prauum: cùm tamen *Apostolus*, versu decimo octauo eiusdem capitis, famulos iubeat, *vt Dominis subditi sint non solùm bonis & æquis, sed etiam prauis.* Nec dispar sit ratio quod spectat ad vinculum ciuilis obsequij; famuli ad dominum, quàm ad patrem, filij, aut

subditi

subditi ad Principem. Neque ab hac *Apostolorum* doctrina, eorundem dissentiebat praxis: [t] *appellant à Iudæis ad Neronem Paulus*, Imperatorem, omnium imò bipidum nefandissimum, humani generis monstrum, & Christianorum flagellum; & cùm [u] Christianos haberet in famulitio eiusdem *Cæsaris* sibi admodum familiares & deuinctos, neque illos tamen ad aliquod facinus in personam Imperatoris machinandum cohortatur, neque ab eius dehortatur famulitio: quod ipse testatur in *Actis Apostolorum*: vbi cùm multas & graues criminationes aduersùs eum quasi contra Decreta [x] *Cæsaris* aliquid molientem attulissent Iudæi, excepit ille: *Neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccasse*: tandem verò & *Paulus* & *Petrus* hic cruci affixus, ille gladio percussus, vt in vita docuerunt, ita morte demonstrârunt, & Principibus non esse resistendum, & tamen Deo potiùs quàm hominibus obediendum. Neque dissimiliter vel vixit, vel mortuus est *Iacobus*, ab *Herode Tetrarcha* gladio cæsus, *Thomas* in India lanceis

t *Act.* 25.

u *Phil.* 4.

x *Act.* 25.

lanceis confossus, *Bartholomæus* in maiori Armenia à Barbaris excoriatus, reliquique *Apostoli* omnes solo *Iohanne* excepto, qui à *Domitiano* in Pathmon (insulam è Sporadibus) est relegatus. Neque tamen inter hos quisquam, qui in capita Tyrannorum vel tantillum machinatus sit, vel meditatus; (imò, *Paulus* ipse cùm *Ananiam* Pontificem Maximum y *dealbatum parietem* appellasset, ita posteà resipiscebat (licèt tunc temporis & regimen Iudaicum Romano Imperio esset subiectum, & summus Pontificatus aduentu Christi essetabolitus) vt futuris sæculis, canonem æternè obseruandum ex lege Mosaica tradiderit: z *Principi populi tui non maledices*, multò minùs vim inferes. Quin & quod præcepto tradidit, ipse ibidem posteà exemplo obseruauit. a Cùm enim multitudo in Pontificis dicasterio in duas diuideretur partes, & aduersus *Paulum* staret Sadducæorum secta, pro *Paulo* Phariſæorum & Scribarum; tum cordatior, tum numerosior: non tamen legimus quod illos vel ad irruendum in Pontificem, vel ad seip-

y *Act.* 23.

z *Exod.* 22.

a *Act.* 23.

seipsum liberandum animârit, sed quod se ad tumultum sopiendum, à tribunali sine aliqua reluctatione abduci permiserit. O si hic ndesset vice *Pauli* aliquis? *Marianista*, quos turbines? quas excitasset Tragoedias?

## De sacris Imperatorum personis *Ecclesiæ primitiuæ decem* persequutionibus.

### LIBER III.

### CAP. I.

*De obedientia Christianorum in* Neronem, *sub persequutione prima.*

RE censet [b] *Diuus Augustinus*, & ex *Augustino* eius discipulus [c] *Orosius*, decem fuisse, vt plagas in Aegypto, ita persequutiones in Ecclesia primitiua

[b] *Lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 52.*
[c] *Lib. 7.*

tina grauissimas. Primam sub *Nerone*, sub *Domitiano* secundam, tertiam sub *Traiano*, sub *Antonino* quartam, sub *Severo* quintam, sextam sub *Maximino*, sub *Decio* septimam, octauam sub *Valeriano*, sub *Aureliano* nonam, decimam sub *Diocletiano* & *Maximiano*. Quibus durantibus, tanta Christianorum turba passim passa est, vt nullus esset dies, testante *Hieronymo in Epistola ad Chromatium & Heliodorum*, (si tamen illa sit *Hieronymi*,) vt non vltra quinque mille Martyres reperiri possint ascripti, excepto die Calendarum Ianuarij. Ita vt Pontifices Romani, triginta tres, à *Petro* scilicet vsque ad *Syluestrum*, etiam ex Romanensium testimonio (licèt ex his aliquos, *Onuphrius in Platinâ* d Confessores, non Martyres) martyrium amplexi sunt. Reuoluantur interim Historiæ, consulantur Annales, si ex his, vel alibi per terrarum orbem è Christianis quispiam, quenquam ad seditionem interea follicitauerit, aut impulerit ad internecionẽ præfectorum: cùm tamen nec multitudo ijs deesset, nec fortitudo, nec oportunitas, nec pru-

d *Nimirum Anacletum, Pium, Eleutherium, Zepherynum Anterum, Dionysium Miltiadem.*

prudentia, nec in causa bonitas, nec crudelitas in pœna; quæ sub *Nerone* tanta fuit, vt Christiani illum propterea *Antichristum* putauerint, referente *Augustino lib. 20. de ciuit. Dei, ca. 19.* [Quæ enim pœnarum genera, inquit[a] *Gregorius*, nouimus, quæ non tum vires Martyrum exercuisse gaudemus, alios namq; improuiso ictu immersus iugulo gladius strauit, alios crucis patibulum affixit, in quo & mors prouocata repellitur, & repulsa, prouocatur alios hirsutis Serra dentibus attriuit, alios armato ferro insulcans vngula sparsit, alios belluina rabies morsibus detruncando comminuit, alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit, alios effossa terra viuentes operuit, alios ab alto dimissos in mortem præcipitium fregit, alios in se proiectos aqua replenda obsorbuit, alios denique edax flamma vsq; ad cineres depasta consumpsit.] Quin imò ipse *Tacitus* equestri loco Romæ natus, & sub *Vespasiano* Procurator datus Galliæ Belgicæ, lib. 15. Annal. affirmat, [Abolendo rumori de Roma con-

[a] *Mor. li. 32. cap. 12.*

"conflagranda iubbediſſe *Neronem* re-
"os, & quæſitiſſimis pœnis affeciſſe,
"quos vulgus *Chriſtianos* appellabat.
"Pereuntibus item adita ludibria, vt
"ferarum tergis contecti, laniatu ca-
"num interirent, aut crucibus affixi;
"aut flammandi, atque vbi defeciſſet
"dies in vſum nocturni luminis vreren-
"tur. Quin & hortos ſuos ei ſpectacu-
"lo *Nero* obtulerat, tanquam non vtili-
"tate publica, ſed in ſæuitiam vnius ab-
"ſumerentur.] Cùm interim *Torpes* & *Eu-
uellius* Aulici & Chriſtiani, de ipſa *Cæ-
ſaris* familia, non modò ſuas manus ab
Imperatoris capite abſtinuerint, ſed
ſua etiam capita in manus Carnificum
patienter tradiderint, & Eccleſia (licèt
graſſante perſecutione atrociſſima) iu-
dici omnium Chriſto (vt inquit [f] *Oro-
ſius*) pro inimicis & perſecutoribus ſuis
ſupplicarit.

[f] Lib. 7. c. 5.

CAP. II.

## Cap. II.

*De obedientia Christianorum in* Domitianum *sub persequutione secunda.*

CErtum est ex *Ecclesiasticis Historijs*, nonnullos Christianorum, etiam sub *Vespasiano* & sub *Tito*, delicijs humani generis, aliquos Martyrium passos: sed ex libidine potiùs Præfectorum, quàm Imperatorum Elictis. Verùm, vt sereno soli grandinosus imber, ita *Vespasiano* & *Tito* succesſit *Domitianus*,

*——— Noctem hyememq; ferens,*

Vnde illud *Tertullianus*, *Neronis portionem* appellat. *Eusebius, hæredem: & Tacitus* illud ponit discrimen inter *Neronem & Domitianum*: quod *Nero truculentas cædes iusserit tantùm, non spectauerit Domitianus verò, & iusserit & spectauerit.*[h] Vel inter initia principatus quotidiè secretum sibi horarium sumere solebat, nec quicquam ampliùs agere, quàm muscas captare, ac stylo præacuto configere. Exinde scilicet futuræ cru-

g *In vita Iulii Agric.*

h *Sueton. in vita Dom. cap. 3*

delitatis ſpeciminia exhibens, quæ tanta demùm fuit, vt eius inſtrumenta ſæuitiæ, omne ferrum conſumptura viderentur:

——[i] *Vt timeas, ne*
*Vomer deficiat, ne marra, & ſarcula deſint.*

i *Iuuenal. Sat.3.*

Sed in Chriſtianos inprimis deſæuijt, nec illos è fæce plebis tenebriones; ſed ipſos Epiſcopos, quaſi eminentiores ſpicas primò amputauit. *Eutropium Sentanenſem, Lucianum Bellouacenſem, Nicaſium Rotomagenſem, Cletum Romanum, Antipam Pergamenſem*, & denique *Romulum Feſulanum*, in Tuſcia Epiſcopum. Inchoata verò à Chriſtianæ Religionis Antiſtitibus perſecutio, in Senatores & Conſulares viros, eandem veritatem profitentes, tandem progreſſa, *Caicium Cerealem* in ipſo Aſiæ Proconſulatu interemit, *Saluidienum*, item *Orfitum*, & *Acilium Glabrionem* in exilio, quaſi molitores nouarum rerum, inquit *Suetonius*: quòd ad Iudæos tranſiſſent, ait *Dio* (quo nomine ab Ethnicis cenſebantur Chriſtiani, quod & Chriſtus, & eius Apoſtoli Iudæi eſſent)

sent.) Denique *Flauium Clementem* patruelem suum: vix Consulatu perfunctum, cuius filios paruulos, Imperij successores, palàm destinauerat ob Christianam Religionem, vnà cum vxore *Flauia Domitilla* necandum curauit. Nec certè dubito, plures ex ipso flore nobilitatis, & stirpe Regia, pro Christiana religione sub *Domitiano* occisos, quorum nomina ille obliuione sepelienda curauit; cùm monumenta & gesta Martyrum (quæ *Clemens* septem Notarijs describenda commisit,) flammis mandauerat. Ita, vt pro Gestis Christianorum Martyrum, qui sub illo passi, ad Ethnicos Scriptores, qui ista subobscurè & malitiosè consignârunt, recurrendum sit. Neque tamen (vel inimicis attestantibus) Christianorum quisquam perduellionis aut læsæ maiestatis reus peragitur: cum tamen omnium ordinum aliqui iniurijs affecti, ad conspirationem contra Imperatorem incundam procliues essent. Senatores oppressi, Philosophi ob loquendi libertatem expulsi, Iudæi ex tribu *Dauid* interfecti, tributis insuper

& mauditis taxationibus miserrimè oneratis. Quæ scelera, licèt ipsius violentam mortem demum maturauerint: tamen ex coniuratoribus (quos recenset *Suetonius*) neminem Christianum legimus, vel Christiano affinem, imò *Clemens*, sæuiente hac persecutione *Romanus Episcopus*, licèt ipse *Cæsarem* genere attigerit, [k] fratresque habuerit *Faustum & Faustinianum* Christianos, & verè generosos Duces: in illis *Canonibus Apostolicis*, quæ *ipsius nomine* circumferuntur, tantùm abest, vt eos ad Imperatorem vel veneno, vel gladio, vel puluere tormentario è medio auferendum hortaretur, vt ab omni aduersus illum, suosque inferiores ministros, contumelia hoc Canone prorsus abstinendum præcipiat. [l] *Quisquis Imperatorem, aut Magistratum contumelia affecerit, supplicium luito; & quidem si Clericus sit deponitor, si laicus à Communione remouetor.*

k *Niceph. lib. 2. cap. 5.*

l *Can. 83.*

Cap.

## CAP. III.

*De obedientia Christianorum, in* Traianum *sub persequutione tertia.*

PRobitatis *Traiani* tanta apud suos opinio fuit, vt vsque ad *Eutropij* ætatem (ipso in sua historia referente) non aliud Principibus à Senatu acclamaretur, nisi *felicior Augusto, melior Traiano*. Sub huius tamen imperio, ipso vel mandante, vel saltem connitente, Consules & Prouinciarum Præfecti, acerbissimam in Christianos carnificinam exercuerunt, quorum multitudinem pariter & innocentiam, *Plinius secundus Bythiniæ Proconsul*, ita in [m] Epistola ad *Traianum* palàm indicat, dum fatetur se nihil aliud de eis comperisse, "[Nisi quod soliti essent stato die ante "matutinam lucem conuenire, carmen- "que Christo, quasi Deo dicere, seque "sacramento, non in scelus aliquod ob- "stringere, sed ne furta, ne latrocinia, "ne adulteria committerent, ne fi- "dem fallerent, nè depositum appellati

[m] *Epist.* 101. *lib.* 10.

abne-

"abnegarent. Quibus & mox ſubdit,
"verſus Epiſtolæ finem. Viſa eſt mihi
"res digna conſultatione, maximè
"propter periclitantium numerum.
"Multi enim omnis ætatis, omnis ordi-
"nis, vtriuſque ſexus, etiam vocantur
"in periculum, & vocabuntur. Neq;
"enim Ciuitates tantùm, ſed vicos, eti-
"am atque agros, ſuperſtitionis iſtius
"(ita Religionem Chriſtianam ipſe A-
"theus appellat) contagio peruagata
eſt.] Neque tantùm verò *Bythiniam*, ſed & illi confinem *Pontum* repletam fuiſſe hoc ſæculo Chriſtianis, qui Gentiliſmum execrarentur, *Lucianus in Pſeudomante* teſtatum reliquit; quod etiam ex illa generali perſecutione apparet, cuius meminit [n] *Euſebius*, vbi aſſerit: in vnaquaque ciuitate ſub *Traiani* Imperio ac ſeditione populi excitata, grauem contra Chriſtianos perſequutionis tempeſtatem commotam. Et ne putemus defuiſſe in ipſo Imperatoris exercitu, qui eandem Religionem profitebantur: Chriſtianum tunc temporis [o] *Euſtachium*, ſiue *Placidam* dictum, inſignem belli Ducem compertum eſt,

n *Lib. 3. cap. 26.*

o *Niceph. lib. 3. ca. 29.*

qui

qui & contra Barbaros in militia Romana, egregiam nauauit operam, & aduersus Iudæos agebat Magistrum Equitum, cùm *Traianus* ipse ductor esset; & posteà sub *Adriano* Martyrio coronatus. Quinimò, exercitum lustrans *Traianus*, inuentos vndecim mille Christianos, dijs sacra facere recusantes, in Armeniam relegauit, vt ignominiæ notati Christiani esse desinerent. Cùm verò *Romulus* Imperatoris domui præpositus eum admoneret, vt de re minùs prudenter gesta: professus se quoque Christianum, eius iussu verberibus cæsus obtruncatur. Quid interim moliuntur *Clemens* & *Anacletus* Romani Episcopi? num hos milites & duces in iugulum Imperatoris armant? certè fecissent *Iulius secundus*, *Pius quintus*, *Gregorius* 13. Nihil minùs. Sed ipsi suos iugulos & ceruices securi præbent, & vnà cum his illa clarissima Ecclesiæ lumina, tanquam tot in caliginosa nocte scintillantia sydera, p *Simeon* frater Domini, Episcopus Hierosolymitanis, annos natus centum & viginti, *Onesimus Ephesinus*, & *Ignatius Antiochenus*, qui etiam

p *Euseb. lib. 3. ca. 26.*

etiam quod præstitit exemplo, præcepto docuit. q *Honorare oportet Regem, nec enim Rege quisquam præstantior, aut quisquam similis ei in rebus omnibus creatis.* Hunc *Traianum*, quòd tot monumentis suum nomen affigeret, u *herbam parietariam* appellare solitus *Constantinus*, quem nos eodem nomine iustius insignire possimus, quòd cùm viuos ecclesiæ lapides persequutione dissociauit, integrum exinde eius parietis corpus compaginauit solus.

q *Epist. 7. ad Smyrnæos.*

u *Sueton.*

## Cap. IIII.

*De obedientia Christianorum in* Adrianum, Antonium, Pium, *&* Commodum *Imperat. sub persequutione quarta.*

QVæ à Christianis Philosophis *Aristide* & *Quadrato* Episcopo Atheniensi, Apologiæ pro Christiana religione luculentissimè scriptæ sunt, atrocissimæ ab *Adriano* in Christianos concitatæ persequutionis sunt indices. Et licet nullum in Christianos Edictum, ab eo promulgatum appareat; faciendum tamen quod fecit recens

x *Euseb. histor. l. 4. c. 3.*

*Traiani*

*Traiani* exemplum, non tantùm admonebat; ſed propemodùm compellebat. Siquidem quæ ab ipſo facta eſſent ſancta vtique & pia, atque omni ex parte iuſtiſſima cenſerentur: neque iam de illis legitima exercebantur iudicia, vt in cauſis etiam criminoſorum fieri conſueuit, ſed clamore vulgi fideles delati, tanquam de crimine conuicti, necti dabantur, vt apparet ex literis *Serenij Graniani* Proconſulis, ad *Adrianum* Imperatorem, & Reſcriptis *Adriani* ad *Minutium Fundanum.* Quanta tamen eorum, etiam his temporibus copia & magnanimitas fuerit, vel exindè conſtat, quòd * *Arrius Antoninus*, dum Prouinciam adminiſtraret in Aſia, in ciuitate quæ Chriſtianam Religionem fuerat amplexata; omnes, qui in ea erant fideles, pro tribunali ſedentem adiere, palàm ſe Chriſtianos eſſe profitentes, eaque de cauſa omnes ſe libenter mortem oppetituros. Cùm is rei magnitudine & nouitate perterritus, paucis ex illis damnatis, in reliquos vt præcipitia atque ſuſpendia (ſi mori optarent) ſibi ſponte deligerent, exclamauit:

* *Tertul. ad Scapulam vlt.*

uit: ὦ δειλοὶ εἰ θείλετε ἀποθνήσκειν κρήμνους καὶ σρόχους ἔχετε, *O miseri, si cupitis perire, præcipitia & restes habetis.* Quin & in vrbe Roma *Alexander* Romanus Episcopus, complures Senatores, *Quirinum* Tribunum, & Præfectum vrbis, *Hermetem*, aliosque multos vnà cum familia *Cerealium* (frequentibus Præfecturis & Consulatibus illustrata) ad Christi religionem perduxit. Neque tamen ex his quenquam in Imperatorem arma sumpsisse legimus; imò cum magna esset Iudæorum ab Imperatore defectio, eorumque Ductor [x] *Barchocebas* Christianos aduersus Romanum militem sibi subsidium ferre nolentes, omnimodis cruciatibus enecaret: Christiani tamen maluerunt, à proditore interfici, quàm cum certa victoriæ spe contra Imperatorem arma induere. Vtpotè, qui sibi suorum Prælatorum proposuerunt exempla imitanda, qui mori maluerint quàm resistere, *Terentiani* Episcopi Tudertini, *Eleutherij*, *Illyrici*, *Publij* Atheniensis, *Hieronis* Antiocheni, & denique *Euaristi Romani*. *Antoninus* licèt cognomẽto *Pius*, quod *Adri-*

x *Euseb. lib. 4. cap. 8.*

*Persecutio sub Antonino Pio.*

*Adrianum* prædecessorem suum mori cupientem, in vita diutiùs retineret: quòd tamen in cultum Gentilium deorum promouendo feruentior, & in Christianis reprimendis immoderatior fuit, ab Ethnicis eò magis pius habebatur. In quos, quanta & quàm inhumana, illo imperante, sæuitia exercita fuerit: si non aliundè, ex Apologijs attamen ab *Apollonio*, *Athenagora*, & *Iustino Martyre* conscriptis, & ad *Antoninum* directis abundè apparebit: in quibus inprimis conqueruntur in eo cum Christianis iniquius agi, quòd alij ad supplicia rapercntur, quòd criminosi essent; se verò quòd Christiani, adeoque illis solis non crimen, sed solum nomen obtendi; vel si crimen obtenderetur, vt atheismus, humanæ carnis esus, incestuosus & promiscuus concubitus, fuisse illa vel Hæreticorum non Catholicorum portenta, vel ab Ethnicorum cerebellis in suum dedecus excusa. Veruntamen quantas vires ad has iniurias retaliandas & vim vi repellendam habuerint Christiani, ex eo patet; quod tunc temporis, longè latequè in toto

toto terrarum orbe, christiana Religio fuerit propagata, quod & idem *Iustinus* in Dialogo cum Tryphone his verbis demonstrat: [Atqui ne vnum quidem est genus mortalium, siue barbarorum, siue Græcorum, siue etiam aliorum omnium quocunque appellentur nomine, vel Amaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentorijs viuentium: inter quos per nomen crucifixi Iesu, supplicationes & gratiarum actiones Patri fabricatori rerum omnium non fiant.] Quid igitur hærent? cur non suas conscribunt copias? cur non in puluerem & aciem contra Imperatorem cateruatim descendunt? quòd si vnquam, pro aris quidem & focis, pro religione & vita faciendum foret. Vis vt vno expediam verbo, quia Christiani, quorum quotidiana praxis est patientia, & professione tessera obedientia: imò tibi expediet *Iustinus* in Apologia ad *Antoninum: quia spes nostras non præsentibus rebus, fixas habemus, percussores nihil moramur: præsertim, cùm moriendum nobis esse sciamus.* En Christianorum patientiam: *Nos solum Deum ado-*

*adoramus, & vobis in rebus alijs læti inſeruimus*, En obedientiam, neque hæc de ſeipſo tantùm ſuiſque ſocijs loquitur *Iuſtinus*, cùm hæc eadem, ſub eiuſdem Imperio Pontifices Romani tres, *Sixtus, Teleſphorus, Hyginus*, & fecerint in vita, & in morte paſſi fuerint; & ſub Imperatoribus proximis *Marco Aurelio, Antonio*, & *Lucio Vero: Pius* & *Soter* Romani, & *Polycarpus* Smyrnenſis Epiſcopus; qui licet (Præſide iubente & rogante) ut per [a] *Cæſaris* fortunam iuraret, facere recuſaverit, nè idololatriam incurreret, Cæſari tamen, non modò civilem ipſe obedientiam præſtitit; ſed ab alijs præſtari præcepit, in *Epiſtola* eius nomine *ad Philippenſes* edita; *Orate pro Regibus & Poteſtatibus, & principibus, atq; pro perſequentibus & odientibus vos, & pro inimicis Crucis, ut fructus veſter manifeſtus ſit in omnibus.* Et in [b] Reſponſo ad Proconſulem, (cùm ad martyrium ductus eſſet) illum Magiſtratum à Deo conſtitutum, & proinde honorem illi pro dignitate tribuendum libere agnovit: quod & Milites in Imperatoris exercitu præſtitiſſe conſtat, pluuia

a *Euſeb. li. 4. cap. 14.*

b *Ibidem ut ſupra.*

miraculoſa,& fulmine in Bello adverſus Marcomannos [c] precibus Chriſtianæ Legionis (quę poſtea fulminatrix ab eo dicta eſt) impetrato: Licet eam victoriam *Ethnici Scriptores*, invidia in Chriſtianos, vel incantationibus, ut *Dion*, vel *Antonini* precibus tribuerunt, ut *Iulius Capitolinus* & *Claudianus*; Poſtrèmo ſub Imperatore [d] *Commodo*, ex ipſo Senatu fuiſſe conſtat Chriſtianos genere illuſtres, & rerum affluentia locupletatos; *Pertinacem*, *Trebellium*, *Apollonium* & *Iulium* (quem ego *Iulium Proculum* fuiſſe auguror) cuius meminit *Lampridius* in vita *Commodi*, qui licet ad ſanguinem vſque reſtiterint, ne Commodus Deus *Hercules* haberetur: quod tamen cum *Marcia* & *Ælio Læto*, Prætorianæ cohortis ducibus ad poculum veneni *Cæſari* propinandum, vel illi, vel è Chriſtianis quiſpiam conſpiraverit, in hiſtoria neutiquàm invenitur.

[c] *Tertul. ad Scapulam. cap. 5.*

[d] *Euſeb. li. 5. cap. 5.*

Cap. V.

## Cap. V.

*De obedientia Christianorum, erga* Seuerum *Imp. Sub persequutione Quintâ.*

SAtis hercle mirari non possum, quenquam tam obesæ naris, aut perfrictæ frontis reperiri, qui si *Tertulliani* Apologeticum, vel per transennam inspexerit, asserere audeat isto sęculo vires Christianis defuisse ad Persequutoribus resistendum, nisi illud positiuè legendum contendat, quod interrogatiuè tum in editione Pameliana, tum in omnibus alijs, quæ ipse inspexi exemplaribus, legitur. Vbi cùm ostendisset perclanculare incendium se posse (vt ipse loquitur) largitatem vltionis operari, si malum malo apud eos dispungere liceret, progreditur tandem: [e *Et si hostes exertos, non tantùm vindices occultos agere velimus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? vestra omnia implebimus, vrbes, Insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, forum, sola vobis*

e *Cap. 37.*

„ *vobis relinquimus Templa, cui bello non*
„ *idonei, non prompti fuissemus ? etiam*
„ *impares copijs (qui tam libenter trucida-*
„ *mur) si non apud istam disciplinam occidi*
„ *magis liceret, quàm occidere*; Potuimus
„ & inermes, nec rebelles : sed tan-
„ tummodo discordes solius diuortij
„ invidia, aduersus vos dimicasse. Si e-
„ nim tanta vis hominum in aliquem
„ orbis remoti sinum abrupissemus à
„ vobis, suffudisset vtique dominatio-
„ nem vestram tot qualiumcunque a-
„ missio ciuium ; imò etiam & ipsi de-
„ stitutione puniissetis ; Proculdubiò ex-
„ pauissetis ad solitudinem vestram, ad
„ silentium rerum, & stuporem quen-
„ dam, quæ sissetis in ea quibus imperas-
„ setis, plures hostes quàm ciues vobis
„ remansissent. Nunc enim pauciores
„ hostes habetis præ multitudine Chri-
„ stianorum, penè omnium Ciuium ;
„ penè omnes ciues Christianos ha-
„ bendo.] Peto a lectore non nimis fe-
stinante, vt hæc *Tertulliani* verba, licet
alicubi Affricanam spirantia asperitu-
tem, apud ipsum Autorem relegere
dignetur unà cum Paraphrasi *Francisci*

Ze-

*Zephiri* in hunc locum, & pensiculatè obseruet, si Christianis hoc sæculo ad Imperatori resistendum vires defuerint. Cur non igitur ad arma confugiunt? cur non audent aliquid?

——— *Breuibus gyaris &,*
*Carcere dignum?*

Num quia mitiùs hoc tempore cum illis actum, quàm sæculis retroactis? nihil minus. Audi rursùs ipsum *Tertullianum*, de huius sęculi sęuitia ita conquerentem [f quoties in Christianos desæuitis? partim animis proprijs, partim Legibus obsequentes? quoties etiam perterritis vobis suo iure nos inimicum vulgus invadit? lapidibus & incendijs; imò ipsis Bacchanalium furijs? nec mortuis parcunt Christianis; quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis iam alios, iam nec totos avellant, dissecent, distrahant.] Et alibi in eodem Apologetico, [crucibus & stipitibus imponitis Christianos, vngulis deraditis latera Christianorum, & ceruices, ponitis ante plumbum, & glutinum & gomphos, ad bestias impellimur, ignibus vrimur

f *Ibidem.*

„ urimur, ad metalla damnamur, in in-
„ sulas relegamur.] Sed defuerunt, inquies, ductores, quasi illis ductores libenter esse noluerint, vel *Avfidius Cassius*, qui se Imperatorem Antiochiæ appellauit; vel *Niger Pascennius*, vir Consularis, & Proconsul Syriæ, qui Orientem, vel denique *Clodius Albinus*, vir Patricius, & Britanniarum proconsul, qui totum in *Seuerum* concitauit Occidentem; Neque tamen Christianus quisquam (vt verè gloriatur g Tertullianus) inventus est, vel Cassianus, vel Nigrianus, vel Albinianus; id est, illorum partibus in defectione adhæresce-re, licet in Occidente, & ipse *Lucius Britannus* Rex Christianus iam fuerit, & in Gallijs ejusdem professionis innumeri, vt patet partim ex scriptis *Sancti Irenæi* Episcopi Lugdunensis, & istius ævi Martyris glorioſi; partim ex Epistola ab illis Ecclesijs ad Asiaticos missa, quam Capite Primo Libri quinti suæ Historiæ attexit *Eusebius*. Imo, hoc ipso tempore Christiani fuerunt, teste h *Tertulliano ad Scapulam* clarissimi, qui illis ductores esse potuerunt. Versabatur insuper

g *Apol. ca.* 35.

h *Ad Scapulam ca.* 4.

insuper in domo *Cæsaris Toparscion* Christianus, *Antonini Cæsaris* educator; Quin & tum temporis Romani Imperij velut obsidem nobilissimam Ægypti præfecturam (Augustalem dictam) obtinuit *Philippus* Christianus, ordinis Equestris, quem *Seuerus* in Epistola ad eum missa, propter præfecturæ istius momentum & dignitatem, Regem potiùs quàm præfectum appellandum fatetur; neque tamen Christiani ad *Philippum* tanquam belli caput confugiunt, nec *Philippus* eos ad arma sollicitat, licèt Ægyptij natura sua ad rebellandum proclines essent. Sed dic Sodes *Tertulliane*, Cùm nec fortitudo, nec multitudo, nec bellandi peritia, nec oratorum suadela, nec ductores vobis desint, Cur interim tanquam oues ad macellum, Ceruices iugo submittitis? & acerbissima supplicia sine quærela, sine murmure toleratis? Certè te nihil aliud responsurum auguror, quàm quod ipse habes, vel in *Apologetico ad Scapulam: absit ut vltionem nos aliquam machinemur, quam à Deo expectamus*, vel Contra gen-

tes, *absit, vt aut viribus humanis vindicetur diuina secta, aut doleat pati, in quo probatur*: immò à vindicta & ultione tantum abfuit, ut *Victor* Romanus pontifex, sui martyrij exemplo, & *Philippum*, & Ægyptios, & omnes ubique Christianos, ad patientiam & martyrium prouocat. Ex Ægypto enim, & vniversa Thebaide, (inquiet [i] *Eusebius*, de hac persequutione sub Seuero loquens) egregij præ Cæteris Christi pugiles delecti, ad Alexandriam, tanquam ad maximum & celeberrimum stadium, in quo pro dei amore strenua decertarent mandabantur. Verùm, licèt non manu: lingua tamen fortassis aduersus Imperatorem pugnabant: Imò liceat mihi hic cum Sancto *Cypriano* exclamare denuò: [k] *Da Tertullianum, da Magistrum* [Licet non per genium, inquit Imperatoris, per [l] Salutem tamen nos Christiani iuramus: precantes omnibus Imperatoribus vitam prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis, & *Cæsaris*

vota

[i] *Lib. 6. cap. 1.*

[k] *Hieronimus in Catalogo. Script. Eccles. ass.*

[l] *Eiusdem meminit Vegetius de re milit. lib. 3.*

vota ſunt.] Et Paulo antè, [ſic itaque nos ad deum expanſos vnguiæ fodiant, Cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, beſtiæ inſiliant, paratus eſt ad omne ſupplicium habitus Orantij Chriſtiani; hoc agite boni Præſides, extorquete animam deo ſupplicantem pro Imperatore.] Concludo tandem hoc caput, cum illa aurea [m] *Tertulliani* Sententia, Contra quam *Marianiſta* ne hiſcere quidē audeant. [*Chriſtianus* nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens à Deo conſtitui, neceſſe eſt, vt & ipſum diligat, & reuereatur, & honoret, & ſaluum velit, cum toto imperio Romano. *Colimus ergo Imperatorem, ſic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt, à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet, ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo Deo minor eſt. Inde eſt imperator, vnde eſt & homo, poteſtas vnde ſpiritus.*] Et licet hæc aliaque huiuſcemodi, à *Tertulliano*, non propter conſcientiam, ſed in gratiam Gentilium dicta, quod eos ſcilicet offendere noluerit, in ſuis Annotationibus in ipſi-

[m] *Apolog.* 30.

us

us [m] Apologeticum affirmare non erubescat *Renatus Laurentius de la Bar*, Pontificis Romani Parasitus: ego tamen illam [n] maledictam puto Glossam quæ corrumpit Textum, quod tum in hoc loco, tum in alijs adulterandis apud Romanenses vsitatum, nuper & rectè observavit reverendus vir Dᵒʳ. *Abbotus, Coll. Baliolensis Præfectus*, in illa sua celebri Concione in Comitijs nostris habita, & in lucem edita.

m: In cap. 30.

## Cap. VI.

*De obedientia Christianorum in Maximinum Imp. sub persecutione sexta.*

NOn ita multò post, *Alexandro* Imperatori succesſit *Maximinus*, vt genere, ita moribus & animo barbarus & agrestis. Sub illo Christianorum suborta est persecutio sexta, breuis quidem illa sed vehemens tamen & sæua; ante cuius ortum grauissimi terræmotus Orientis oras acerbissimè exagitarunt, quæ mala Gentiles, more solito, ascribebant Christianis; nimirùm quod qui non

non colerentur ab illis Dij, iratis his vel alijs cladibus orbem concuterent, ut testatur *Cyprianus* Epistola 75. his verbis. [Ante viginti & duos fere annos, „ temporibus post *Alexandrum* Imperatorem: multæ conflictationes acciderunt, vel in commune omnibus, „ vel privatim Christianis, terræmotus plurimi & frequentes extiterunt; „ ut per Cappadociam, & per Pontum „ multa subruerent, quædam etiam Civitates in profundo receptæ, dirupti „ soli hiatu deuorarentur, ex quo persequutio quoque grauis aduersus nos „ Christiani nominis facta est, quę post „ longam retrò ætatis pacem repentè „ oborta, de inopinato & insueto malo „ ad turbandum populum nostrũ terribilior effecta est; *Serenianus* tum „ fuit in nostra prouincia Præses acerbus, & dirus persequutor.] Neque „ certè mirum *Serenianum* Africæ „ Præfectum, in Christianos tam acerbum fuisse, cùm ipsum Imperatorem „ *Maximinum*, (vt in eius vita meminit „ Iulius Capitolinus,) ob summam „ crudelitatem, alij *Cyclopem*, alij *Busiridem* „

„ videm, alij *Scyronem*, nonnulli *Pha-*
„ *larim*, multi *Typhonem*, vel *Gygem* ap-
„ pellarint.] Neque enim, inquit, ipſe *Capitolinus*, homo ethnicus, erat crudelius animal in terris omnia ſic in viribus ſuis ponens, quaſi non poſſet occidi: Inſuper tam voraxcarnis, ut 40. libras ſingulis diebus comederet, nec tamen carnis voracior quã ſitiens fuit humani ſanguinis, & ſi erga ſuos, milites, Senatores, alioſque ſuæ ipſius ſuperſtitionis cultores adeo immanẽ ſe & ferũ præbuerit, qualem quæſo in Chriſtianos, quos publicos hoſtes reputabat ſe geſſiſſe credibile eſt? Cùm interim tamen plurimi Chriſtiani, non modo in Exercitu, ſed in ipſa Aula *Cæſaris*: imò ex ſtirpe *Cæſarea* verſarentur, ut patet ex *Euſebio* cuius hæc ſunt verba, *lib. 6. cap.* 21. [*Alexandro* Romano Imperatore, *Maximinus Cæſar* ſucceſſit, qui propter gravem invidiam, qua contra *Alexandri* „ familiam in qua complures fideles & „ Chriſtiani verſabantur, flagrabat, acerbam perſecutionis tempeſtatem „ concitauit,] neque Chriſtianorum tamen quenquam legimus, vel cum *Pu-*

*pieno*

*pieno* ad eum occidendum conſpiraſſe, *Balbino* pro eius morte Hecatombem facienti fauiſſe, vel denique cum militibus exclamaſſe, *ex pęſſimo genere ne catulum quidem habendum*. Imo ipſi Romani Pontifices, *Pontianus* & *Anterus*, ſub huius Imperio martyrio coronati ſunt. Quin & *Origenes* (referente *Euſebio*) hac ipſa perſequutione graſſante, Epiſcopos & Presbyteros, & denique omnes vbique Chriſtianos, non ad defectionem aut coniurationem aliquam adverſus imperatorem ineundam: ſed ad obedientiam tolerandam, ſuis orationibus Parenæticis cohortatus eſt; in fine nobilis iſtius Operis, quod contra *Celſum* elaborauit, calumnijs *Celſi* reſpondens, luculenter & pluribus demonſtrat; Chriſtianos homines eſſe Imperatoris ſtudioſiſſimos, omnibuſque illos officijs, præcipuè autem precibus pro eorum ſalute effuſis proſequi conſueuiſſe. Nec diſſimilitèr docet, tum ipſe *Origen. in Comment.* in *cap.* 13. *ad Romanos*, vbi præſentem controuerſiam ex propoſito enucleat, tum etiam *Minutius Felix* eius coætaneus in Dialogo, qui inſcribi-

tur

tur Octauius, & circumfertur ſub nomine octaui libri *Arnobij* contra Gentes, cum ille ex teſtimonio *Hieronymi* tantum 7. ſcripſerit. *Maximino* Imperatori ſucceſſit *Gordianus*, in cuius occiſores hanc ex *Cordo Capitolinus* ultionem obſeruauit. Omnes ſcilicet, qui eum gladio appetiverunt, (qui nouem fuiſſe dicuntur) ſua manu, ſuiſque, & ijſdem, quibus illum percuſſerunt interijſſe pugionibus. Quin & *Philippus Arabs*, qui eius internecionem præcipuè curauerat, poſtea, à Satellitibus ipſe interfectus (licet dum adhuc in viuis eſſet, [n] Chriſtianus factus, pro ſcelere admiſſo pœnitentiam egiſſet, vt in eius vita narrat Eutropius); Neque enim illum Religionem Chriſtianum profeſſum tum cùm *Gordianum* necari mandaverat, facilè crediderim (licet *Euſebius* [o] *lib. 6. Eccleſiaſtica Hiſtoria* in eam ſententiam propendere videatur) cùm *Origenes* hoc ipſo tempore contra *Celſum* ſcribens, & ab eo prouocatus, quod Chriſtiani ad rempub. adminiſtrandam & magiſtratus capeſſendos inidonei eſſent, Imperatoris exemplum proculdubio

n *Oroſ. lib. 7. Laſſiod. in Chron. Vincent. Lyri. cap. 23.*

o *Cap. 27.*

bio, tanquam Clypeum opposuisset, si tum temporis Imperator nomen Christianum fuisset amplexus.

## Cap. VII.

*De obedientia Christianorum in* Decium *& Gordianum Imp. sub persequutione septima.*

Huius septimæ Persecutionis (vt pote qui

*Multa ipse miserrima vidit*
*Et cuius pars magna fuit*)

tum in variis eius Epistolis, tum præsertim in *Libro de Lapsis* accuratè meminit *Sanctus Cyprianus*, è scriptoribus Latinis; & è Græcis *Gregorius Nyssenus* in vita Gregorij Thaumaturgi, qui & his vixit temporibus; quorum utrique, præcipuè verò *Nyssenus* luculenter describunt Edicti Imperatoris crudelitatem, ejusque executionis à Prouinciarum præsidibus præstitæ sæuitiam incredibilem, vnà cum admirabili Christianorum patientia, licet iam multitudine,

dine, diuitijs, potentia, Ethnicis formidabiles essent, ex Christiano scilicet Imperatore *Philippo* sibi tantam vindicantes autoritatem, ut Fana & Altaria Idolorum plerisque in locis fuerint demoliti, & eorum loco sibi Templa erexerint, quod his verbis eleganter narrat *Nisse-*
„ *nus.* [Iam in omnem partem peruase-
„ rat diuina prædicatio, & omnes tam
„ in Ciuitate, quam in ea quæ circum-
„ circa est regione, ad piam rectamque
„ dogmatis fidem erant traducti, Alta-
„ ribus & Templis, & quæ in eis fue-
„ rant simulachris euersis; Expurgata
„ erat humana vita ab Idolorum inqui-
„ namentis, extinctusque sceleratus ni-
„ dor sacrificiorum, ablatusque cruor
„ ex altaribus, & sordes cæsorum ani-
„ malium: omnes autem, in omni lo-
„ co, in Christi nomine Templa erige-
„ bant, & Oratoria, Augebatur enim
„ mysterium Christianorum, & per to-
„ tum Orbem terræ multiplicabatur
„ Ecclesia, per eos qui semper verbo
„ adijciebantur, crescens in magnitudi-
„ nem.] Quæ *Nysseni* verba (si quid ego iudicare possum) vires Christianorum

rum in iſta ætate Ethnicorum potentiæ æquales; ſi non ſuperiores, liquidò demonſtrant. Et certè veriſimile eſt, ad *Philippi* nouiſſimi Imperatoris exemplum, è fæce & gregario milite, infinitos; quin & ex ipſo Nobilitatis flore, & Aulæ gremio nonnullos ad Chriſtianã fidem acceſſiſſe. Inter quos ab Hiſtoricis ſuccenturiantur *Triphonia Decij Cæſaris* Iunioris vxor, *Philippus Iunior*, & *Seuera Auguſti Philippi* Senioris coniux, *Calocerus Cubiculi* Imperatoris, vxoris nimirum *Decij* Senioris præpoſitus, *Parthenius* alterius in Aula muneris Princicerius. *Secundianus* Valeriani Præfecti Aſſeſſor, *Abdon* & *Samne* in Perſia, Subreguli, & denique in exercitu *Paramon* ob militiam inſignis, alijque eius ſocij, quorum trecenti ſeptuaginta, ob chriſtianam fidem martyrum paſſi. Interim, quàm formidabile fuerit, adverſus Chriſtianos, Imperatoris edictũ, apparet partim ex *Nyſſeno*, cuius hæc ſunt verba; Intereà Imperator ad gentium Præſides mittit Edicta, terribiles Supplicij minas in eos ſtatuens, niſi omnibus probris, contumelijs, & cruciati-

bus Christianos reducerent ad patrium cultum dæmonum : partim ex *Dyonisio* Episcopo Alexandrino, quem sic loquentem introducit Eusebius [m] *lib.6.* „ suæ historiæ ; [Decij Edictum erat „ iam diuulgatum , illudque tale „ profectò videbatur, quale Dominus „ prædixerat futurum,in quo terribilis„ sima illa eius propemodùm explebatur sententia, nimirùm Electos (si „ possibile esset) in errorem inductos „ fore hoc accepto Edicto, Præsides „ in Prouincijs quàm immaniter in „ Christianos sæuierunt,ex dictis *Hieronymi in vita Pauli Eremitæ*, & ex eis „ quæ gesta in Africa Sanctus *Cyprianus* „ testatur, facilè possumus intelligere. „ Ait enim, tormenta venerunt, & tor„ menta sine fine tortoris, sine exitu „ damnationis,sine solatio mortis : tormenta, quæ ad coronam non facilè dimittant, sed tam diu torqueant quamdiu deficiant,nisi si aliquis diuina dignatione subtractus, inter ipsa cruciamenta profecerit acceptus gloriam, non termino supplicij, sed velocitate moriendi.] De exquisitis autem tormentorum

m *Cap.34.*

ge-

generibus, particulariùs *Nyssenus*; vbi memorat [antequàm veniretur ad periculum, martyribus metum incussisse tortores, ostensis ensibus, & ignibus, bestijs, & instrumentis ad torquendum membra accommodatis; erant & ferreę in igne cathedręe, & ligna erecta, qui eorum extensa qui persistebant corpora porrectis horrendis laniabant vngulis, aliaque innumerabilia ad multiplices corporum cruciatus ab eis excogitabantur; vnumque studium erat eis, qui hanc habebant potestatem, vt nullus in eo posset ostendi scelere superior. Alij quidem deferebant, alij verò iudicabant, alij verò scrutabantur, eos qui erant absconsi, alij inuadebant, eos qui fugiebant, alij autem injectis oculis infacultates fidelium, vt rebus eorum potirentur, prætextu pietatis & religionis, eos qui fidem amplectebantur exagitabant,] Hactenùs *Nyssenus*. Verùm dum hæc moliebatur Imperator, quid interim meditatur *Fabianus* Romanus Pontifex, aut reliquus Romanæ Ecclesiæ Clerus? Cur non

iam ſine omni controuerſia ſatis virium nacti, tum ad defendendos, tum ad offendendos hoſtes, excõmunicationis & degradationis fulmen in Imperatoris caput ejaculantur? Certè, vt verbo expediam, quod eos non tam defectus virium, quàm conſcientiæ, ad præcepta *Saluatoris*, & *Apoſtolorum* praxim regulatæ vox intra gyros ciuilis obedientiæ coarctaret.

## Cap. VIII.

*De obedientia Chriſtianorum erga* Valerianum, *Imperat. ſub Perſequutione octaua.*

PRiuſquàm ad *Valeriani* Imperium accedamus operæprætium erit hoc in loco, *Dionyſij* Epiſcopi Alexandrini verba attexere, ex Epiſtola ad Hermammonem, quam citat [a] *Euſebius* vbi de *Triboniano Gallo*, qui *Decio* ſuo ſucceſſit infit; [Gallus neq; *Decij* recogitauit calamitatem, neque antea ſecum quid tandem illum (nempe *Decium*) de gradu dejeciſſet diligenter conſi-

a *Lib. 7. 1.*

de-

derauit, ſed in eundem lapidem, licet perſpicuè ante ipſius oculos poſitum, cum ſuo magno malo impegit. Qui, cùm regnum eius proſpero fortunæ flatu ferreretur, & res omnes ad voluntatem fluerent, ſanctos & pios viros, qui pro pace eius Imperij, proq; vitę incolumitate obnixè Deum precabantur, crudeliter exigit, & propterea vnà cùm illis eorum preces pro ipſo ad Deum fuſas penitùs à ſe avertit.] In quibus verbis illud inprimis animadverti cupio, illos *ſanctos* viros ab hoc *Sancto* appellari, non qui *ſanctas* vniones adverſus *ſacroſanctam* ſui Principis perſonam ineunt, aut ſententiam à *Sancta Sede Apoſtolica*, ad illum abdicandum latam exequi moliuntur, ſed qui pro pace eius Imperij, proq; vitæ incolumitate obnixè Deum precabantur: In quorum numero, etiam *Cornelium* & *Lucium* Epiſcopos Romanos reponere non dubitarim; cùm eorum utrunque ſub eodem Gallo martyrio coronatum conſtet.

Quod autem de aliorum Chriſtianorum praxi ſub *Gallo* hic memorat *Dionyſius*,

*nyſius*, illud ipſũ à ſeipſo ſuiſq; in Chriſto cõmilitonibus, poſtcà ſub *Valeriano* & *Galieno* factitatum, ipſe in ſequenti-
o Cap. 10. „ bus teſtatur his verbis; o *Nos vnum*
„ *Deum omnium rerum fabricatorem, qui*
„ Valeriano & Galieno Cęſaribus, Au-
„ guſtis, *viris ſanctiſſimis, imperium lar-*
„ *gitus eſt, colimus & veneramur; huic e-*
„ *tiam ſine intermiſſione, pro eorum regno*, ut ſtabile & firmum maneat, preces adhibemus. Quid audio? *Valeriano* & *Galieno* imperium largitus eſt Deus? *Valeriano*, inquam, in Chriſtianos (cuiuſdam Magi ſuaſu) ſupra modum ſæuienti? luxurianti *Galieno*? vtrique Idololatræ, impuro & ſacrilego vtrique? Ita planè eſt, eaque ſola ratione ducti Chriſtiani, non tantum ab eis violandis abſtinent: ſed eos omni cultu ac veneratione ciuili proſequuntur eouſque, ut pro eorum Imperio, tam in ſuis perſonis, quàm in poſteris ſtabiliendo, Deum iugitèr orent; imò (& quod magis eſt) eos, licet ſanctorum ſanguine madidos & ebrios, viros ſanctiſſimos appellant, in quod vocabulum (ipſius veritatis vi coactus) in ſuis Annalibus

nalibus ita ſcribit [p] *Cæſar Baronius* [Sic ex conſuetis titulis *Dionyſius* dicit Imperatores illos ſanctiſſimos viros, quà & *Paulus Apoſtolus* ſceleſtiſſimum hominem Fœlicem alloquens ait; *Optime Fælix*: cùm alioquin, etiam ex proprietate quoque vocis Imperatores, licet nefandiſſimos, tamen ſanctiſſimos appellare potuiſſet: nam *Cicero* ait; *quare ſuo iure noſter ille Ennius ſanctos appellat Poetas, quod quaſi Deorum dono atque munere, nobis commendati eſſe videantur.* Si igitur quod à Deo datum creditur, ſanctum dicitur; cùm conſtet ex Chriſtianæ Legis preſcripto, Principes etiam malos à Deo dari in vltionem peccatorum (ſecundum illud, [q] *Dabo vobis regem in furore meo*, & [r] *qui regnare facit hominem hypocritam*:) hac quidem ratione utique potuit illos nominare ſanctiſſimos. Hactenùs *Baronius*.] Quod igitur ipſe Deus ſanctum fecit homo ne violet, & quæ Deus coniunxit, imperium ſcilicet & Imperatorem, homo ne ſeparet, quod aliquando tamen iuſtè & legitimè fieri poſſe, tuipſe (ut in ſequẽtibus apparebit) obnixè Baroni cõtẽdis.

p *Tom. 2. pag. 546.*

q *Oſee 13.*

r *Iob. 27.*

Sed paulò vlteriùs filum Hiſtoriæ proſequamur. Hoc ipſo tempore martyrium paſſus eſt fortiſſimus ille Chriſti athleta Eccleſię Affricanæ lumen & columen D. *Cyprianus* ; qui in Epiſtola Prima ad *Cornelium* Epiſcopum Romanum, in hunc modum ſcribit ; [ Retuſus aduerſarius, adunati exercitus, fide pariter & vigore intellexit, Chriſti milites vigilare iam ſobrios, & armatos ad prælium ſtare, vinci non poſſe, mori poſſe : & hoc ipſo inuictos eſſe, quia mori non timent, nec repugnare contra impugnantes cùm occidere innocentibus ne nocentem licet ; ſed promptè & animas & ſanguinẽ tradere, ut cũ ſæuitia & malitia graſſetur, à malis & ſæuis velociùs recedatur. ] In quæ *Cypriani* verba Romana Editio cum Priuilegio *Pij Quarti*, & Typis *Pauli Manutij* impreſſa hanc in fine libri aſſuit gloſſam ; [ Loquitur de Chriſtianis illius temporis, iuſſu impiorum Tyrannorum apprehendendis, vel iam apprehenſis, & vi tormentorum ad ſacrificandum Idolis fide abnegata cogendis : qui licet

ad

ad martyria ſeſe prodere non debe- „
rent, captis tamen non licebat manu „
armata reſiſtere; ſed armis, & virtute „
patientiæ, quæcunque tormentorum „
immania genera ſuperare, quò admi- „
rabilior reluceret virtus Crucis Chri- „
ſti. Quod autem populo Chriſtiano „
non deeſſent ad ſui defenſionem vi- „
res & poteſtas, inſinuat alibi: ] vbi „
dirigimur ad illum per inſignem locum,
in fine *Exhortationis ad Demetrianum* A-
fricæ Præſidem; [lædere ſeruos Dei „
& Chriſti, perſequutionibus tuis de- „
ſine, quos læſos vltio diuina defendit. „
Inde eſt enim, quòd nemo noſtrûm „
quando apprehenditur, reluctatur; „
nec ſe adverſus injuſtam violentiam „
veſtram, quamuis nimius & copioſus „
populus noſter vlciſcitur.] Et cùm „
iam Imperatoris Edicto, ad extremum
ſupplicium poſtularetur, martyrijque
quaſi candidatus eſſet: Presbyteris,
Diaconis, & univerſæ plebi *Carthagi-*
*nenſi* per [f] Epiſtolã huiuſcemodi orati-
onem habuit; [Vos autem Fratres „
chariſſimi,) pro diſciplina quam de „
mandatis dominicis à me ſemper acce-
piſtis

[f] *Lib. 4. epiſt 1. edit. Rom.*

piſtis, & ſecundum quod me tractantem ſæpiſſimè didiciſtis, quietem & tranquillitatem tenete; nec quiſquam veſtrûm aliquem tumultum de fratribus moueat,] Satis autem numeroſus & cordatos fuiſſe Eccleſiæ Carthaginenſis fideles, ut Imperatoris edicto, & vrbis præfecto reſiſtere potuiſſent, ſi voluiſſent: partim ex eadem ipſius *Cypriani* [t] Epiſtola apparet, vbi illam Eccleſiam glorioſam appellat; partim etiàm ex [u] *Herodiano* illius ætatis Scriptore, ubi illuſtrem illius claritudinem indigitat: ſed præſertim ex [x] *Pontio Cypriani* Diacono, ubi credentium multitudinem *Cypriano* iam ad mortem properanti aſſiſtentem elegantiſſimè deſcribit; *egreſſus, inquit, eſt è domo Principis, Chriſti & Dei Princeps, agminibus multitudinis ex omni parte vallatus: ſic autem comitatui eius infinitus exercitus adhærebat, quaſi ad expugnandam mortem manu facta veniretur*

Circa idem tempus, ita in alijs etiàm mundi tractibus in infinitum creuit Chriſtianorum multitudo, ut prædictus [y] *Cyprianus* in *Libro de Exhortatione*

t *Ibidem.*

u *Lib. 7.*

x *In vita Cypr.*

y *Cap. 2.*

ad

*ad Martyrium*, ipsos Martyres, vix aut ne vix numerari posse affirmat his verbis; Exuberante postmodùm copia „ virtutis & fidei, numerare nō possunt „ Martyres Christiani, testante Apoca- „ lypsi & dicente: [z] *post hæc vidi turbam* „ *magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.*] Nec dissimiliter [a] *Gregorius Magnus*, de numero Martyrum huius æui loquens: [totum, inquit, mundum fratres aspicite, Martyribus plenus est; iam penè tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt, quia quāti sunt à nobis comprehendi non possunt.] Et si tot Martyres fuerint, quot putabimus Confessores? imò professores? eosq; non solū inferioris loci & ordinis: sed illustres & conspicuos; præsertim, cùm hic *Valerianus* (teste [b] *Eusebio*) in initio sui Imperij, quàm familiarissimè, idque in oculis omnium Christianos exceperit eousque, ut tota domus

z *Apoc. 7. 9*

a *Hom. 27. in Euangel.*

b *Lib. 7. Cap. 9.*

mus eius pijs hominibus compleretur, esſetque planè Dei Eccleſia.] Inſuper, & in Ciuitate erant *Olympius Tribunus*, & [c] *Aſterius* Senator, claro loco natus, & magno ab Imperatore in pretio habitus, & in exercitu [d] *Marinus*, unus ex his qui in eo magnum decus & honorem fuiſſent conſecuti, vir & genere illuſtris, & diuitijs locuples. Illum aliquando è Tribunali egreſſum, trium tantùm horarum ſpatio ei ad deliberandum dato, ut vel à religione diſiſteret, vel in ea perſeuerans capite plecteretur: *Theotectnus Cæſarienſis* Epiſcopus ad ſe colloquendi cauſa inuitat, & præhenſa manu rectâ deducit in Eccleſiam. Quẽ cùm interiùs ad ipſum Sanctuarium collocauiſſet, læua paululùm in alteram partem dimota, gladium quo cingebatur oſtendit, ſimulque diuinorum Euangeliorum librum adferens, ex aduerſo porrigit. Quotuſquiſque *Marianiſta* non ſtatim ex hoc Sermone muto collegiſſet, voluiſſe Epiſcopum ut *Marinus* ſuos milites ad defectionem hortaretur. Euangeliumque contra Imperatoris autoritatem, & Edicta, gladio de

c *Niceph. Lib. 6. Cap. 13.*
d *Euſeb. Lib. 7. Cap. 13.*

defenderet? ſed ex ipſo Euangelio aliter edoctus *Marinus, qui gladium acceperit, gladio peribit* (id eſt qui gladium contra ciuilem Magiſtratum ſtrinxerit, gladio diuinæ iuſtitiæ peribit,) ſibi Euangelium arripit, & terreno honori militari renuncians, ſpiritualem & cæleſtem amplexus eſt, neque vel hîc licet in exercitu Romano potens, nec quiſquam Chriſtianorum alius, vel ſenator, vel ciuis, vel Aulicus repertus eſt, qui contra Maieſtatem Imperatoriam coniuraverit; vel cum *Ingenio* à *Meſiacis* Legionibus Imperatore appellato; vel cum *Macriano*, qui *Valerianum* prodidit in manus *Sapporis Regis Perſiæ*; vel denique cum illis triginta tyrannis, quorum meminit *Trebellius Pollio*, qui capto ab hoſtibus *Valeriano* adverſus *Galienum* ejus filium exorti ſunt. Imò, Pontifices Romani, *Stephanus* & *Dionyſius*, tantum abfuerunt, ut illos ſiue ad imperiũ, ſiue Imperatorem inuadendum exciverint, ut ipſi memorabile patientiæ & tolerantię exemplum, pręſentibus pariter & poſteris Chriſtianis, ſuo ſanguine conſignatum reliquerint.

CAP. IX.

## Cap. IX.

*De obedientia Christianorum in* Aurelianum *Persequutione non â grassante.*

TOtus erat *Aurelianus* eo præsertim tempore quo adversus *Marcomannos* in Italiam irrumpentes expeditionem pararet, in consulendis Libris fatidicis *Sybillinis*; de quibus inspeciendis, cunctantem Senatum literis sic admonuit: [[e] miror vos Patres tam diu „ de aperiendis *Sybillinis* dubitasse Li„ bris, quasi in Christianorum Ecclesia, „ non in Templo Deorum omnium „ tractaretis.] Ex quibus *Aureliani* verbis, non ineptè colligendum arbitror, nonnullos fuisse tunc temporis in ipso Senatu Romano Christianos, qui cæteris in euolvendis codicibus *Sybillinis* pro suo modulo obnisi sunt: præsertim cũ Senatum, etiam suo tempore Christianis repletum, anteà ex Tertulliano demonstraverimus. Insuper & in exercitu, tantus fuit Christianorum numerus, ut 65. eodem die extra portam *Salariam*

e *Vopiscus in vita Aureliani.*

*lariam* passi fuerint. Neque tamen horum quenquam legimus vel *Zenobiæ* Orientis Reginę, licet Christianorum fautrici; vel *Tetrico* in Gallijs rebellanti, adversus hunc Imperatorem, quamuis sanguinarium & in Christianos feralitèr debacchantem adhæsisse. Postremò cùm [f] *Mnesteus* ejus Secretorum Notarius, ad extremum supplicium, ob leue aliquod admissum destinatus, multorũ nobilium nomina cuidam breui (simulata manu & sigillo Imperatoris) inseruisset, quasi etiam ab eodem morti adiudicarentur; ut dũ illi se in Imperatorem vlciscerentur, ipse interim sartus tectus effugeret; quenquam tamen Christianorũ eum vel in facinus attraxisse, vel adhibuisse in consilium incompertum est: cùm tamen eis & infensissimus esset Imperator, & copia Imperatorem aggrediendi non deesset. Sed interim notatu dignum, illum ministrum à Libellis, qui eum occidendum curauit, cognita fraude in stipitem ligatum, bestijs obiectum fuisse.

f *Cuspinianus in Aureliano.*

Cap. X.

## Cap. X.

*De obedientia Christiana: in* Dioclet. *Et* Maxim. *sub Persequutione decima.*

PErsequutionũ fluctibus in hoc sanguinis pelago præteruectis nouem (paucis diebus Halcionijs intercalantibus) iam tandem sub *Diocletiano* & *Maximiano* Decumanus nobis obuoluitur, iuxta illud Poeticum, non tamen poeticè usurpatum:

*Qui venit hic fluctus fluctus supereminet omnes*
*Posterior nono est, undecimoque prior.*

„ [Nemo huius Belluæ immanitatem
„ potest pro merito describere (inquit
g *Li.5.Ca. 11* „ g *Lactantius*) qui uno loco recubans,
„ tamen per totum orbem dentibus sę-
„ uit; & non tantùm artus hominum
„ dissipat: sed & ossa ipsa cõminuit,
„ & in cineres furit, ne quis extet sepul-
„ turæ locus; Quęnam illa feritas? quę
„ rabies? quæ insania? lucem viuis, ter-
„ ram mortuis denegasse.] Fuit hæc per-

perſecutio (vt inquit *Eutropius*) omnibus alijs diuturnior atque immanior. Nam per decem annos incendijs Eccleſiarum, proſcriptionibus innocentium, cædibus Martyrum, inceſſabilitèr acta eſt: de huius etiam perſecutionis acerbitate, Chriſtianorumque in perferendis tormentis alacritate, *Seuerus Sulpitius* hæc tradit; [Omnis ferè Martyrum cruore orbis infectus eſt; quippe certatim glorioſa in certamina ruebatur, multoque auidius tum Martyria glorioſis mortibus quærebantur, quàm nunc Epiſcopatus prauis ambitionibus appetuntur: Nullis vnquam magis bellis mundus exhauſtus eſt, neque maiori vnquàm Triumpho vicimus, quàm cum decem annorum ſtragibus vinci non potuimus.

——— *Non anni domuère decem.*

Et certè, videtur Diabolus ſui quodammodo præſagus ruituri domini, nullum non mouiſſe lapidem, nihil reliquiſſe intentatum; ſed omnes pariter effudiſſe vires ad lumen Euangelij non obſcurandum modò, ſed penitùs extin-

guendum; Nam vt Spiritus Dei impleuit *Bezalielem* ad excogitandum quicquid fabrifieri potest, ex auro, argento & ære: ita Spiritus nequam, huius æui carnifices edocuit noua planè & i naudita tormentorum genera.

*Non mihi si centum linguæ sint,*
*Oraque centum, Ferrea vox, —*
*Omnia pœnarum percurrere nomina possem.*

[Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, vrebantur, laniabantur, trucidabantur, multiplicabantur, *non pugnantes pro salute, sed salutem contemnentes, pro seruatore*] vt appositè & verè de horum temporum angustijs loquens [h] D. *Augustinus*; quibus adijcere liceret, à Ciuilibus commercijs arcebantur, aqua & igne interdicebantur, contra ius fasque ad fodinas & metalla & seruilia opera in Thermis *Dioclesianis* struendis amandabantur, & denique Thermis consumptis, omnes operarij Christiani ad numerum decem millium ducentorum & trium, extra Vrbem ad aquas Saluias necabantur; & alio tempore *Nicomediæ* viginti millia

h *De Ciuit. Dei Lib. 22. cap. 6.*

millia Martyrum in *Eccleſia* Natalem Chriſti celebrantium igne iniecto concremati, holocauſtum Deo offerebantur; inter hos emicuerunt,

*Velut inter ignes*
*Luna minores.*

*Auguſta Diocletiani* coniux, cuius nomen ideò Paganorum Hiſtoriis ſuppreſſum & obliteratum auguror; *Marcus* item & *Marcellianus*, *Nicoſtratus*, *Claudius*, *Caſtorius*, *Chromatius*, *Caius Gabinius*, *Dorotheus*, cum ſuis ſodalibus *Gorgonio*, & *Migdonio*, quos ampliſſimos in Aula honoris fuiſſe adeptos, & ſumma apud *Cæſarem* gratia valuiſſe teſtatur *Euſebius* reliquique omnes, vel Natalium claritate, vel neceſſitudine & affinitate cum ipſo Imperatore: vel denique Magiſtratibus & Præfecturis, ſiue in Vrbe, ſiue in Exercitu per inſignes. In quo memorabile quidem eſt illud exemplum [k] *Thebeæ* Legionis, quæ tota fuit Chriſtiana, numero continens ſex mille ſexaginta ſex, milites veteranos, validos animis, & armis inſtructos; hos ſub luſtrationis & iuramenti prætextu ad Idololatriam

1 *Niceph. Lib. 7. cap. 15.*

pellicere tentauit *Maximianus*. Hunc autem in modum, reliquorum nomine reſpondent *Mauricius Tribunus* Legionis, *Exſuperius* Vexillarius & *Candidus* ordinis Senatorij vir; paratos ſcilicet ſe eſſe Imperatori in omnibus eſſe ſubiectos, atque aduerſus barbaros (quod aliis ſæpe fecerant) ſtrenuè pugnaturos: Verùm quòd Chriſtianam Religionem colerent, ſe neutiquàm fore immolaturos, Reſponſum hercle prudens, animoſum, modeſtũ, Chriſtianis dignum. Veruntamẽ exinde magis excãdeſcens *Maximianus*, eos bis decimandos & ſubinde reſiduos omnes in fide perſiſtentes trucidandos mandat. Si huic Legioni aliquis tũ prę fuiſſet *Marcuiſta*, quàm acriter militum animos ad ſua tela in Imperatoris caput & iugulum vibranda, tanquam monſtri alicuius aut immanis beſtię inflammaſſet, vel ſaltem ad ſuas copias cum *Amando* & *Æliano* (ad quos perduelles ſupprimendos hanc expeditionem ſuſcepit *Maximianus*) iungendas ſollicitaſſet: ſed illi aliter à ſuis edocti Epiſcopis, maluerunt mille perpeti mortes, quàm ſui Imperatoris

ratoris perſonam ſemel aggredi, aut ab eo deficere; licèt tum temporis Chriſtianam fidem profiterentur: tum *Procopius* ducalem in oriente ſublimitatem à *Dioclesiano* nactus, tum [l] *Philoromus*, qui primariam dignitatem apud Alexandrinos conſecutus, vt Romanorum mos fuit, ſatellitibus ſtipatus, in dies ſingulos de controuerſijs ad ſe relatis iudicium tulit. Et certè Alexandriæ cùm Imperaret (niſi reclamaſſet conſcientia) nullo cum negotio ita naues onerarias potuiſſet intercludere, vt tota Italia breui ſpatio fame fuiſſet enecta & abſorpta: præſertim cùm, teſte [m] *Lactantio*, illo lacteo eloquentiæ flumine, qui hanc perſecutionem præſens viderat: Ab ortu ſolis vſque ad occaſum Lex diuina ſuſcepta eſſet, omnis „ ætas, ſexus, gens, regio, vnitis ac paribus animis Deo ſeruirent: de obedientia tamen Imperatori interim præſtita audi ipſum Lactantium; *Defendenda eſt religio, non occidendo, ſed moriendo; non ſæuitia ſed patientia; non ſcelere, ſed fide.* Audi [n] *Arnobium*, Lactantij Præceptorem. *Noſtra Scripta cur*

l *Euſeb. l. 8. c. 10.*

m *Lib. 5. cap. 13.*

n *Lib. 4. Contra gentes in fine.*

*ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui, in quibus oratur Deus, pax cunctis & venia postulatur, Magistratibus, Exercitibus, Regibus?* Audi *Minutium Felicem, Arnobij* coætaneum in suo Dialogo, qui *Octauius* inscribitur, quot ex nostris, non dextram solùm, sed totum corpus vri, cremari, sine vllis ejulatibus pertulerunt, cùm dimitti præsertim haberent in sua potestate? Imo [o] S. *Augustinum* audi, de his ipsis temporibus perorantem, *neque tum ciuitas Christi, quamuis adhuc peregrinaretur in terris, & haberet tam magnorum agmina populorum, aduersus impios persecutores suos pro temporali salute pugnauit: sed potiùs vt obtineret æternam, non repugnauit*; Audi denique [p] *Ludouicum Viuem* in hæc *Augustini* verba ita commentantem; [obsistere poterant, & captis armis non modò inimicis metum facere, sed periculum adferre, se propulsando, *cæterùm longè beatius, & Euangelio Christi dignius existimabant iniuriam pati quàm facere; mori quàm occidere, corpus amittere, quàm animam.*] Vnius tamen meminit ex [q] *Eusebio* [r] *Nicephorus* hominis Christiani

o *Lib. de Ciuit. Dei 22. cap.*

p *In Com. in illum locum.*

q *Lib. 8. cap. 5.* | r *6. 5.*

Christiani, qui professionis Christianæ immemor, Edictum Imperatoris aduersus fideles latum, & publico in loco *Nicomediæ* affixum arripuit, atque in minutissimas partes conscidit, cùm quidem ea in vrbe vterque Imperator adesset: quo commisso facinore *ὅλα ἦν εἰκὸς παθὼν* inquit Nicephorus, *vt par erat pœnas pendit* (reddente *Iohanne Lango*) Licèt enim illi certè digni, qui plura his paterentur, hic tamen indignus qui vel istud faceret. Quare, & vtrumque Imperatorem satietate imperandi imperio se quidem abdicasse, neutrum autem à *Marcellino* Pontifice Romano abdicatum legimus, imò tantum abfuit ab vtrouis abdicando, vt vnius suasu ipse Idolis thurificaret; quam Historiam, licèt & [r] *Binius* & [s] *Baronius*, vt obreptitiam clarè refutari posse contendant: illam tamen veram fatetur *Bellarminus*, *tum in Tractatu de Pontifice Romano*, tum etiam in *Epistola ad Blackwellum de Iuramento fidelitatis non suscipiendo.*

r 1 *Tom.* 1 *conc. pag.* 222.
s *Anno* 302. *num* 96

# Ab initio imperij *Constantini*, vsque ad interitum *Phocæ*.

## LIBER III.

### CAP. I.

*De fidelitate Hæreticorum & Paganorum in* Constantinum, *&* Christianorum *in* Licinium.

TAm tandem hac persequutionum procella & caligine depulsa emicuit in *Constantio* Religionis quasi crepusculum : & in *Constantino* nostrate ad Christianismũ plenè conversо, quasi exorto supra Horizõtem Sole, effulsit plena radiatio : cum illo tamen discrimine ad verum Solem ; quod huius lumen progrediatur ab Oriente in Oc-

Occidens; illius verò proceſſit ab Occidente in Oriens. Tum celebre ſpectaculum, nobis omnibus optabile & vehementer deſideratũ, inquit [t] *Euſebius*, ante omnium oculos proponebatur, Dedicationum ſcilicet Feſtiuitates per vrbes ſingulas, Templorum nuper ædificatorum conſecrationes, frequentes Epiſcoporum in unum conuentus, peregrinorum longè ab exteris Regionibus accedentium concurſus, mutuę populi in populum beneuolentię, propterea quòd membra corporis Chriſti in unam quaſi harmoniæ & concentus conſpirationem coibant.] Sed ea eſt communis humani generis inimici verſutia, ut Eccleſia ſaltem in Occidente, iam ab externa tyrannorum vi ſecura, inteſtinis ſchiſmaticorum & Hæreticorum laboraret diſſidijs, de celebratione Paſchatis, & filij Dei, cum Patre conſubſtantia, adverſus Orthodoxos digladiantium, qui Imperatoris iuſſu condignis affecti ſupplicijs; licet eo vecordiæ prouecti fuerint, ut Imperatoris [*] imaginem contumelia afficere non dubita-

[t] *Lib.* 10. *Cap.* 8.

[*] *De vita Conſt. li.* 2. *cap.* 4.

dubitarent aliqui; alij ejus perſonam conuitijs onerare, quenquam tamen vel *Donatiſtarum*, vel *Arrianorum*, vel *Miletianorum* vitæ ejus inſidias clàm tetendiſſe, aut vim intuliſſe palàm non legimus: cùm tamen tanta eſſet *Arrianorum* multitudo, ut aliquot [u] *Concilia* ex plærisque Orientis ciuitatibus congregata, ab eorum partibus ſtare viderentur, eiſque adhæreret *Euſebius* Nicomediensis Epiſcopus, *Conſtantiæ* Imperatoris ſorori valdè charus: Faueret item *Euſebius Pamphili Cæſarienſis*, quem Imperator non modò in oculis, ſed ſecum in ſinu quaſi & pectore ſemper gerebat. Ingemiſcebat (inquit [x] *Hieronymus*) Chriſtianus Orbis, & miratus eſt ſe ſubitò factum eſſe *Arrianum*: non verò ingemiſcebat *Arrianum* factum fuiſſe Regicidam, erat ſiquidem [y] æquiuocator, & æquiuocantium author *Arrius*; Regicida tamen, vel regicidarum patronus non erat. Imò & illud obſeruandum, non ſolùm hæreticos à temeranda Imperatoris perſona abſtinuiſſe: ſed ipſos etiã infideles *Ethnicos*: Quid? annon eadem eſt ratio Ethnici ad Principem

u *Arimineuſe, Seleucienſe, Syrmienſe. Vide etiam Auguſt. contra Parmen. Cap. 6.*

x *Aduerſus Luciferianos.*

y *Niceph. lib. 8. c. 51.*

cipem ex Ethnico Christianum, quæ Christiani ad Principem è Christiano Ethnicum factum: quem tamen vel Ethnicorum aduersus *Constantinum* Gentilismo renunciantem, sacris Christianorum mysterijs initiatum, quem inquam, vel senatorem, vel Militem, vel ciuem leuissimam seditionem religionis causa mouisse constat? Erubescant igitur hîc Christiani, & ab Infidelibus Christianam tandem, & ipsi discant obedientiam.

Sed quid interim in Oriente factum? ibi furor *Licinij* in Ecclesias insultare grassariq; cœpit, quem constat quam plures Christianos militia nobiles, ignominiæ causa ad opus publicum damnasse; alios insuper ad textrinam, aliáque opera gynnecæa ascripsisse, id quod testatur ipsemet [z] *Constantinus* in edicto quod primum post expugnatum *Licinium* pro Christianis edidit. Huius insuper persecutionis sub *Licinio* meminit *Basilius* in oratione in 40. Martyres; vbi confitentibus omnium pœnarum genera, ignem, ensem, botrum, culeum, rotam, flagellum proposita; et ex eorum con-

z *lib. 2. de vita Constantini cap. 25.*

conſpectu aliquos fugiſſe, ſuccubuiſſe alios, quoſdam fluctuaſſe; rebellâſſe verò vel in hoſtium caſtra tranſfugiſſe neminem affirmat; licèt Imperatorem in Occidente haberent ſuæ profeſſionis magnanimum, et in ipſo *Licinij* exercitu Chriſtianos Duces præpotentes: vtpote *Theodorum*, ſpectata fortitudine virum (inquit *Nicephorus*) *Arſacium*, genere *Perſam*, cuius inter alios confeſſores præcipuè virtus effulſit (inquit *Sozomenus*) et denique *Auxentium*, cuius quia Hiſtoria memorabilis eſt, et ad propoſitum præſens non impertinens, illam ex[a] *Suida* hic adferam.

[a] *In verbo, Auxentius.*

[ Erat hic in palatio *Licinij* inter ſubſcribas (quos Latini Notarios vocant) illuſtri loco: in Imperiali autem domo fons aquæ fuit, & ſuper ea fonte *Bacchi* ſimulachrum: tum autem vitis ampla, quæ locum eum omnem tegens, multa cum amænitate obumbrauit. Hunc cùm *Licinius* veluti deambulans, *Auxentio* et multis prætereà alijs eum officij gratia comitantibus veniſſet, & Botrum ingentem & maturum è palmite pendentem conſpexiſſet: *Auxentio* vt

eum

eum decerperet, mandauit; *Auxentius* verò nihil prorsùs subesse doli suspicatus, pugione quem ex fœmore suspensum gestabat stricto, Botrum resecauit. Tu *Litinius, ad pedes Lionysij, vnus depone dixit*; *Auxentius* verò *minimè gentium, inquit, Imperator, Christianus enim sum:* Licinius rursùm *itaque ex Aula ait confestim abibis dignitate posita; alterum tibi duorum istorum necessariò faciendum*]. Quid ad hæc *Auxentius*? non in Licinij viscera licèt tyranni & Christianorum sanguisugæ pugionem strictam impingit, sed nulla interposita morâ iugulum militare perquàm libenter ponit, & Aula discedens valedicit. Concludam hoc caput cum illo insigni *Athanasiana* obediẽtiæ exemplo; quem cùm Imperator urgentibus *Arrianis* causa inaudita in Gallias religasset, ille libertatem paritèr & modestiam Episcopo dignã adhibens, Imperatori respondet: [b] *iudicabit Dominus, inter te & me, quoniã tu consentis calumniatoribꝰ meis*, Non inquit iudicabit Episcopus Romanus inter me & te: sed Dominus. Quinimò in exilio degens, *ad fratres solitariam*

b *Epiphan. hæres.* 68.

*solitariam vitam agentes*, ad Imperatoris seueritatem extenuandam in hunc modum rescribit [c Siquidem Pater, nempe *Constantinus* Eusebianorum calumnia *Athanasium* in Gallias ad tempus amandauit, quo liberior esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant]: cùm tamen ipse alibi in ea sententia pronuncianda, d emicuisse *Cæsaris* iram, & atroces minas effudisse testatur. Quid hic hæres *Marce* Pontifex Romane? Imperatorem *Arrianis* iam aures accommodasse vides, magnum *Athanasium* in exilium misisse; imò quod peius, post baptismum Aruspices consuluisse, *Faustam Augustam*, *Crispum filium*, *Licinium Nepotem* interficiendos mandasse; non hæc recenseo, vt *Zozimus* in huius optimi Imperatoris contumeliam: sed vt ostendam, posse optimos Reges aliquandò optimis se opponere, nec statim tamen humana potestate esse coercendos, multò minùs trucidandos, aut à suo deturbandos imperio.

c *Ad solitariam vitam agentes.*

d *Apolog. 2.*

Cap. II.

## Cap. II.

*De miserando exitu Magnentij tyranni & Fidelitate Orthodoxorum in* Constantium Arrianum; *præsipuè verò* Athanasij.

Mortuo *Constantino*, diuisum fuit Imperium in tres partes, inter eius filios *Constantinum*, *Constantem* & *Constantium*. Quorum primus, dum nititur partes Iunioris fratris inuadere, (memorante, * *Eutropio*) bellum contra eum commouet, & dum inconsultiùs apud Aquileiam illum aggreditur, à *Constantis* ducibus interfectus est, & in fluuium proiectus.

* *Lib.* 11. *Rerum. Rom.*

Secundus in *Donatistas* seuerus; propterea ab illis imprecationibus deuouetur, oneratur conuitijs; quos ideò *Optatus Mileuitanus* Orthodoxus procacitatis arguit, ita de *Donato* ad *Parmenianum Donatistam* loquens. c Ille solito furore succensus, in hæc verba prorupit. Quid est Imperatori cum Ecclesia? et de fonte lenitatis suæ multa maledicta

c *Lib.* 3.

ledicta effudit, non minùs quàm in *Gregorium* aliquandò, ad quem sic scribere non dubitauit; *Gregori* macula Senatus & dedecus Præfectorum, & cætera talia } tantum ob linguæ in suum Imperatorem virulentiam ita increpat Orthodoxus Hæreticos. Constans autem anno sui Imperij 17. ætatis 30. ex coniuratione *Magnentij* apud *Helenam* oppidum Pyrineo proximum non longè ab Hispanijs interficitur. Fuit hic *Magnentius*, tum temporis specie tenus Christianus: animo autem & effectu Ethnicus. Quod exinde constat, quod post mortem *Constantis* Paganorum Idola restitueret, & adoraret. Fuit etiam & hoc primum Imperatoris Christiani à suo subdito interfecti exemplum: sed interfectoris exitum pauliſper attenditote, & videbitis hoc mõstrum à *Constantio* superatum. f Primò matri, deinde Seniori fratri postremò sibimetipsi violentas manus inferentem, naribusque, et ore cruorem effundentem. Quinetiam eius morte audita, *Decentius* frater laqueo fascia composito vitam finiuit, sanctissimus ille vir (inquit

f Socrat. lib. 2. ca. 27.

(inquit [g] *Athanasius*) de *Constante* loquens, martyrium assequutus est ille contra, (*Magnentium* intelligit), iam inde quasi in nexu esset, ad similitudinem *Cain*, cum gemitu et trepidatione fugiebat, vt Iudam posteà eodem mortis genere imitaretur, sibique ipsi carnifex factus, duplex supplicium, & hic, & in iudicio futuro irrogauit.

Mortuis vtrisque Fratribus, vniuersa rerum summa *Constantio* cessit, vnde arrogantior esse cæpit (inquit [h] Zozimus) quod eam fortunę prosperitatem moderatè ferre non posset; immunemque se deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter existimans (inquit [i] *Ammianus*) confestim à iustitia declinauit ita intemperanter: ut *æternitatem meam* aliquoties ipse propria manu subscriberet, suumque *Cæsarem* æternum appellauerunt, qui filium Dei æternum esse negant, inquit Athanasius. Imò ipse Imperator post victoriam de *Magnentio* partam, *Arrianissimus* factus, [k] eousque Catholicos persequutus est, ut violentia non minor ea esset, quàm illi olim adhibuerant, qui Christianos

g Apolog. ad Constantium.

h Lib. 2.

i Lib. 15.

k See lib. 2. cap. 22.

ad ſimulachra colenda compellebant, adeò ut nemo illius temporis calamitates (*teſte* [l] *Nazianzeno*) pro rei indignitate ſatis commemorare, ac deplorare queat: [Nunquam, quicquam tale auditum eſt in Orbe terrarum, neq; quiſquam, vnquam iſtiuſmodi mala expertus eſt, (*clamat* [m] *Athanaſius*,) Tanta ſiquidem immanitas fuit, ut Virgines denudarint, corporaque plagis interfectorum aliquandiu ad ſepulturam reddere negauerint; ſed foris obijcerent canibus, donec depenſa ingenti mulcta, clanculum à neceſſarijs ſubducerentur. Magnus ibi in diſtinguendis cadaueribus labor, eò quòd nemo ſuos agnoſceret; cętera quę facta ſunt incredibila, & tam tetra, ut ſenſũ audientis obſtupefaciant. Ego mihi imperare non potui, inquit alibi idem Author, quin paucis ea quoque delinearem, quo planè vobis conſtraret, nullo vnquam tempore talia in Eccleſia perpetrata eſſe, ex quo *Saluator* noſter in cœlum euectus Diſcipulis præcepit: *ite, & docete omnes Gentes*,] Quid interim in has anguſtiùs redacti Catholici? quùm *Magnus Athanaſius Epiſcopus*

[l] *Oratione in laudem Hieron.*

[m] *Epiſt. ad Orthodoxos & in apologiâ ad Conſtantium.*

*piſcopus Alexandrinus*, qui huius Perſequutionis pars magna fuit? bis ex Imperatoris Decreto in exilium relegatus, & indigniſſimè ab Arrianis tractus ad tribunalia, iniquiſſimè accuſatus. Cur non imperij proceres ad imperatorem abdicandum hortatur? ægrè ferentes quòd in ſuos propinquos ſæuiret, quòd *Ablauio* viro conſulari & prætorij præfectura decorato, mortem machinaretur. Et denique quòd illo ſi non iubente, ſinente ſaltem *Dalmatius Cæſar*, proſperrima indole iuvenis (vt loquitur *Eutropius*) oppreſſus fuerit. Cur non populum Alexandrinum numeroſiſſimum ſui præſulis obſeruantiſſimum, & denique ſupra modum ad [n] ſeditionem à natura propenſum, ad arma & tumultus concitet,? Imò è contra, populo concitato, ut decebat tantum & talem Epiſcopum, pietate grauem,

*Ille regit dictis animos & pectora mulcet.*

Et in *Apologia ſua ad Conſtantium* illum Piſſimum & Religioſiſſimum *Auguſtum* appellans, duobus criminibus Læſæ Majeſtatis ſibi obiectis, in hunc modum

n *Epiphanius hæreſi 69. & Euag. lib. 2. cap. 8.*

dũ reſpondet: Priori quòd *Conſtantem* ſcilicet Imperatoris Fratrem ad Bellum *Conſtantio* fratri inferendum ſollicitauerit, his verbis. [Non inſanio ego, non mente captus ſũ, ut vel cogitâſſe vnquã me tale quid ſuſpiceris. Quapropter ne alijs quidem percontantibus reſpõdere velim, ne iterùm dũ excuſo me, illi qui audiunt animi pendeant, tuę autem pietati magna & clara voce reſpondeo, manúq; extenſa, (quod didici ab Apoſtolo) *Deum in meam ipſius animam teſtor*, & ut ſcribitur in *Lib. Reg.* iuſiurandũ concipio, *teſtis ſit Dominus, & teſtis ſit Chriſtus eius*, (ſinas quęſo me loqui) nunquã in malum tui mentionẽ feci, apud fratrẽ tuũ Beatæ memoriæ *Conſtantẽ*, Pijſſimũ *Auguſtum*, neq; illũ aduerſus te irritaui, ut calũniantur iſti; imò contra, ſi quando eũ conuenirem) mentionem ipſe faciebat de humanitate tua, quod etiã tũ accidit, cum *Thelaſſius* veniebat *Pitybionem*, & nos commoraremur Aquilæ. Deus conſcius eſt, quàm ego ibi tuæ pietatis meminerim, & quæ ego per id tẽporis loquutus fuerim, Deus tuæ aliquando menti reuelabit, ut cognoſcas

Syco-

Sycophantias meorum apud te calumniatorum. Sinas quæso me ista loqui (humanissime *Auguste*) plurimamque mihi hac in parte veniam concede. Non ita facilis erat, non ita obuias aures habebat cultor ille numinis *Constans*, neque ego apud eum tantus, ut de istiusmodi rebus verba fuisse ausus facere, & fratrē obtrectare, & de Imperatore apud Imperatorem criminosè loqui. Non insanio Imperator, neque immemor sum diuinæ vocis, ita loquentis, & in *Conscientia tua Regem ne execreris, & in recessibus regni tui ne obtrectaueris opulento, quoniam volucres cæli auferent vocem tuam, & alatus renunciabit sermonem tuum*. Quod si ea quę de vobis regibus secretò dicuntur, latebras non habent, quî quæso credibile est, præsente Imperatore, & tot in orbem circumstantibus, me mala de te loquutum fuisse?

Posteriorem accusationem; quod scilicet cum *Magnentio* Tyranno aduersus Imperatorem fœdus inijsset ita diluit. [De secunda autem calumnia, quod scripserim Tyranno (nam ne nomen quidē eius affari vélim) obtestor,

ut per quos tibi videbitur, rem exquiras, cauſamque cognoſcas (nam magnitudo calumniæ ſenſus meos obſtupefacit.) Crede mihi (Religioſiſſime Princeps) ſæpe mecum perpendi, an credibile eſſet quenquam ita inſanire, ut talia mentiri nihil vereatur; cœterũ quia apud *Arrianos*, & hoc quoque iactatum eſt, illique gloriantur Antigraphum Epiſtola mea ſe habere, maiorem in modum obſtupui, & noctes inſomnes ducens cum aduerſarijs meis veluti præſentibus depugnabam, ac derepente in ingentem clamorem & has preces erupi, optabamque cum gemitu & lachrymis, ut quamprimùm propitias tuas aures adipiſcerer. Quas cum per Dei gratiam adeptus ſim, ecce denuò hæſito, quid initium meæ reſponſionis faciam. Quotieſcunque enim loqui meditor, ipſius rei prodigio & honore impedior, Diabolum autem *Magnentium*, (teſtis eſt mihi Deus & Chriſtus eius) neque noui, neque quicquam de eo compertũ habui.] Idem alibi, eundem *Magnentium* perduellem, Incantatorem, perfidum, periurum, belluam, monſtrum appellat,

pellat,& tandem in illas erumpit voces? [talinè monſtro me amicum poſſe fieri calumniator putet ? ego admiratione prodigioque calumniæ perculſus, hæſito, quid oporteat reſpondere,meque in mille mortes condemno, ſi vel ſuſpitio talis de me vſpiàm fuerit. Imò tantum abeſt, ab Imperatore vel armis impetendo, vel lancinando lingua aut calamo; ut paſſim per eandem Apologiam, ſe pro eius incolumitate tum priuatim, tum publicè preces fudiſſe fateatur : nihil aliud dixi,quàm precamur prō ſalute Religioſiſſimi Imperatoris *Conſtantij*,& ſtatim uniuerſus populus una voce acclamauit, *Chriſte auxiliare Conſtantio*, & magna perſeuerantia has preces continuauit.] Sed interim alij per Chriſtianum Orbem Epiſcopi centū & 16. à ſuis ſedibus ex Imperatoris Edicto pulſi, quid meditantur? quid moliuntur ? quid *Iulius* Pontifex Romanus ab Arrianis excommunicatus ? quid *Liberius* amandatus in exilium (legatis ſuis in carcerem conjectis ? ) cur non ſuum fulmen in Imperatoris caput ejaculatur ? imò audi ipſius fulmen in Epiſtola

ad Imperatorem, [o Glorioſiſſimo *Conſtantio Auguſto &c.* Opto tranquilliſſime Imperator, ut mihi benignas aures Clementia tua tribuat, quo poſſim manſuetudini tuæ mentis meæ propoſitum aperire &c.] Nec ita multò poſt, ut ad priſtinam dignitatem reſtitueretur Arriano dogmati ſubſcripſit, fatente *Hieronymo*, *Hilario*, Sozomeno, Epiphanio, & ipſo *Cæſare Baronio* (utcunq; turpiſſimum hunc lapſum ab infamia vindicare tanquam pro aris & focis contendat.) Porrò p *Cyrillus Archiepiſcopus Hieroſolimitanus*, ipſe ab *Arrianis* etiam miſerè vexatus, in hunc modum Imperatori ſcribit. Imperatori Deo dilectiſſimo & pientiſſimo *Conſtantio Auguſto &c.* concludens tandem his verbis: ipſe Rex, omnium Deus, totius beneficentiæ exhibitor, multis annorum periodis, ad honorem & gloriam Chriſtianis mundoq; uniuerſo te ſeruet incolumem, potentioremque te efficiat, & omni ornatum virtute, ut pro more ſanctarum Eccleſiarum Imperatoris Romani humanitatem demonſtres, & amplioribus pietatis coronis in multos annorum circulos

o *Tom. 3. Bib. Sancte.*

p *Tom. 2. Bib. Sancte.*

culos quietus reſplendeas, Deus uniuerſorum id nobis concedat.] In huius etiam Imperatoris laudibus, idque poſt ipſius obitum, triumphat [q] *Nazianzenus* B. *Hieronymi Præceptor*, & per excellentiam *Theologus* cognominatus; eumque hunc in modum excuſare contendit. [Si rectam fidem nonnihil luxare viſus eſt, hoc crimen Procerum importunitati tribuendum eſt] *Hoſius* inſuper (quo non in hoc ſeculo, vixit cordatior alter) ita hunc Imperatorem affatur. [[r] *Quitui imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ.*] Et licet *Hilarius Epiſcopus Pictauienſis*, ab eodem Imperatore in exilium miſſus, priori ſuo Libello ad illum dedicato, in eum acerbiùs calamum ſtringere videatur: in poſteriori tamen benemonens, ſcilicet iuxta illud *Pyndaricum* (poſteriores cogitationes eſſe ſapientiores; mitiori ſtilo agit, ita illum affatus. [Benignifica natura tua Domine Beatiſſime *Auguſte*, cum benigna voluntate concordat, & quoniam de fonte paternæ pietatis tuę miſerecordia largiter profluit, quod rogamus nos facilè impetrare poſſe confidimus

q *Orat. in. Jul. 1.*

r *Vide Athan. ad Solitariam vitam agentes.*

fidimus,] Et alibi [Intelligit ſingularis & admirabilis ſapientia tua Glorioſiſſime *Auguſte*] Et alibi : [non ſolùm verbis, ſed etiam lachrymis deprecamur.] Et alibi, Pro incolumitate & beatitudine tua, offerant preces.] Et deniq;, nulla quidem ſuſpitio erit non modò ſeditionis ; ſed nec aſperæ murmurationis ; tandem verò concludit ; Dei omnipotentis clementia, te nobis cuſtodiat clementiſſime ac Religioſiſſime Imperator ] Meminit quidem *Becanus* Libri à *Luciſero Caralitano Epiſcopo de non parcendo in Deum delinquenti*, & Baronius *de Regibus Apoſtatis* utriuſque in hunc Imperatorem conſcripti, verùm hunc eundem *Luciferum* fuiſſe, à quo poſteà in hæreſim lapſo *Luciferiani*, contra quos ſcripſit Sanctus *Hieronymus* ſuum mutuati ſunt nomen, apud omnes in confeſſo eſt.

CAP. III.

## Cap. III.

*De fidelitate Chriſtianorum erga* Iulianum *Apoſtatam.*

*Conſtantio, Iulianus* primo Imperatori Hæretico, ſucceſſit Apoſtata, qui [f] Edicto cauit; ut qui ſacrificare noluerint, in Palatium non intrarent, neq; collegio eos, neque foro, neq; arbitrio, neque ulla dignitate participare iuſſit. [Rex (inquit [t] *Chryſoſtomus*) noſtro æuo, omnes qui præceſſerunt impietate vincens.] De quo eleganter [u] Nazianzenus. [Quis mihi *Herodoti* atque *Thucydidis* otium, linguamque ſuppeditabit, ut iſtius improbitatem ætati futuræ tranſmittam? atque huius temporis Hiſtoriam quaſi in Columna ſcriptam poſteris relinquam? vix Imperij hæreditatem adire cœperat, cum impietatem palàm libereque profitetur, perinde atque hoc nomine erubeſcens, quòd Chriſtianus aliquando fuiſſet, & idem alibi; Furebat ille indies, aduerſus nos vehementiùs, non ſecus ac fluctus

f *Eutrop. Rerum. Rom. lib.* 11.

t *In Serm. de Sanctis Iuuentino & Maximo.*

u *Orat.* 1. *in Iulianum.*

fluctus ſuper fluctus excitatus, qui in ſe ipſum primùm inſanierat, & ſancta protriuerat, Spirituiq; gratię contumeliam intulerat; *Ieroboam* appoſitè dixeris, aut *Iſraelitam Achab*, aut *Ægyptiũ* illũ *Pharaonem*, aut *Aſſyrium Nabucodonoſor*, vel hęc omnia contrahentes, unũ & eundẽ nominabimus: quandoquidẽ eum omnium vitia in ſe collegiſſe conſtat, defectionem nempe *Ieroboam*, crudelitatem *Achab*, duritiem *Pharaonis*, ſacrilegium *Nabucodonoſoris*, omnium deniq; in unum collectorum impietatem] x Imò ipſe, de ſeipſo; ſinite me liberè, quod ſentio, dicere. [Vna in re tantum iniuriam vobis fecit *Conſtantius*, quod me cum *Cæſarem* fecit, non vita priuauit?] quid vos iam Chriſtiani cogitatis? quid molimini? Certè ſi vnquàm, ſi vſpiàm, iuſte in Tyrannum irruere poſſitis, hîc impiè ſtatis; Tyrannum Religionis & ſuæ, & veræ non deſertorem modò, ſed irriſorem & oppreſſorem, immundis Spiritibus familiarem, perſequutorem Sanctorum, in *Saluatorem* mundi blaſphemum, Deo denique & hominibus odioſum. Num vobis vires de-

x Impoſ. pag.

desunt? at teste [y] Sozomeno [tanta erat eorum multitudo, ut magistratus cuiusque ciuitatis ægrè eorum calculum subducere, & in tabulas referre potuerint. Et in ipso Exercitu, tantus numerus, ut cùm post *Iuliani mortem, Iouianus Christianus*, Christianus, violenter à militibus ad imperium raptus, illis imperare recusasset, qui à fide sua alieni essent: milites pœnè omnes, acri voce, velut ex compolito, [z] *se quoque Christum colere acclamarent*. Num ductoribus vobis opus est? at habetis *Iouianum, Valentinianum, Valentem*, qui postea sunt imperij gubernaculis potiti, & denique *Artemium* Ægypti Præfectum sub ipso *Constantino* Artis Militaris peritia celebrem: Vobis interea idem animus, eadem mens, quæ [a] *Gregorio* Nazianzeno. De his *Iuliani* temporibus loquens, [*nobis quibus nulla alia arma, nec muri, nec præsidia, præter spem in Deum reliqua erant, quem tandem alium, aut precum auditorem aut miserum depulsorem habituri eramus quàm Deum?* Quorum enim extentæ inter precandum manus flammas extinguunt, feras consopiunt, gladiorũ aciẽ re-

y *Lib. 5. ca. 14.*

z *Cuspin. in Iouiano.*

a *Orat. 3. in Iulianum*

retundunt, instructas acies in fugam vertunt, tuam etiam Imperator impietatem compressuræ sunt etiamsi ad aliquod tempus extollaris.] Dolebant, & lachrymabantur, (inquit [b] Chrysostomus) in malis quæ tunc fiebant, quasi uniuerso mundo tutores dati essent, & ibidem in Martyrum *Iuventini & Maximi* persona loquens: Aripiamus, inquit, arma spiritualia, non opus jaculis & sagittis? &c. Sed quid interim de hoc Apostata Episcopi Ecclesiæ luminaria? *Lyberius* hoc ipso tempore Episcopus Romanus, ad *Athanasium* [c] literas dedit, sed de Imperatore excommunicando, aut deponendo, ne verbum quidem, multò minùs trucidando: Imò ipse *Athanasius*, ex Alexandriâ Imperatoris mandato profugere coactus, in eos qui illum circumsistentes mœrebant & discessum ejus grauiter ferebant, oculis coniectis: [d] *bono estote animo filioli, inquit, nubecula est, breui euanescet.*] Quasi dixisset; non ipsi eam dissoluite, sed ejus dissolutionem maturè euenturam expectate. Post Imperatoris interitum, duas quidem Invectiuas in eum scripsit

b *Serm. in Iuuentinum & Maximum tom. 3.*

c *Rufinus lib. 1. cap. 30.*

d *Socrat. li. 3. cap. 12.*

Gre-

*Gregorius Episcopus Nazianzenus*, multo sale respersas, tandem autem concludit: [e *eos à quibus tyrannide oppressi sumus, mansuetudine vincamus, hac ratione, eis à quibus iniurias accepimus, sublimiores nos præstamus.*] *Cyrillus* autem *Episcopus Alexandrinus in responsione ad libros Iuliani*, (quos teste f *Hieronymo* in expeditione Parthica contra Christum euomuit) in *Epistola nuncupatoria ad Theodosium*, non tam contra Regem se dicere profitetur, quàm pro gloria Christi, qui cum summo uniuersorum Patre suo principatum gerit, de quo & solo dici debet; *per me Reges regnant*. Postremò Milites Christiani, quod ad Idolis thurificandum adegit, non arma arripiunt, aut aduersus eum coniurationem ineunt; sed [cùm veniissent ad Principem (inquit g *Eutropius*) proiecerunt aurum, quod acceperant, & forti voce poscebant, ut reciperet quod dedisset, & occideret illos.] Tantùm abfuit illa ætas à Principe, vel omnium scelestissimo occidendo, ut ipsi occidi popposcerint. Nec dissimilitèr de hoc ipso Imperatore, & eisdem militibus h D. *Augustinus*. ]Domi-

e *Orat. 2. in Iulianum*

f *Epist. 84.*

g *Rerum Rom. li. 11.*

h *In psal. 124. in illa verba; non derelinquet, &c.*

minus inquit Cœli & terræ, per quem facta sunt omnia, seruiuit indignis, rogauit pro sæuientibus, & furentibus, quantô magis non debet dedignari homo, ex toto animo, & tota voluntate bona, cum tota dilectione seruire domino etiam malo? quod autem dixi de domino & seruo, hoc intelligite de potestatibus & Regibus. *Iulianus* extitit infidelis Imperator, nomine extitit Apostata iniqu' Idololatra? milites christiani seruierunt Imperatori infideli, vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in Cœlo erat: Quandò volebat, ut Idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum, quãdo autem dicebat producite aciem, ite contra illam Gentem, statim obtemperabant, distinguebant dominum æternum, à Domino temporali, & tamen subditi erant propter dominum æternum, etiam Domino temporali.] Non intempestiuè hîc adijcere liceret de *Valentiniano* Historiam ex *Paulo Diacono* in suis Additionibus ad *Eutropium* desumptam; Hic igitur, cum *Iuliano* ingressus est in Templum *Fortunæ* Ministris

ſtris Templi ex vtraque parte ianuarum ſtantibus, & aſperſione aquæ (ſicut ipſi dicebant) purgantibus ingredientes. *Veſpaſianus* præcedens Principem aſperſionis guttam ſua vidit in chlamyde, & indignatus, pugno percuſſit Templi Miniſtrum, dicens ſe maculatum potiùs quàm mundatum; quod reſpiciens *Iulianus* iuſſit eum in cuſtodiam retrudi, dicens: aut ſacrifica Idolis, aut militia excede, qui baltheum ſoluens, ſine murmure diſceſſit, pariter oſtendens, & militis pro religione fortitudinem, & ſubditi in Principem obedientiam.

Supereſt, ut de morte *Iuliani* aliquid attexam, quoniam *Iohannes Mariana* ſuam opinionem de Regibus occidendis præſertim ab illa nitatur aſtruere. Teſtimonium Sozomeni allegans his verbis: *Nobilis Hiſtoricus Sozomenus libro 6. cap. 2. Militem, ſi quis fortè Iulianum Imperatorem occidiſſet, uti eo tempore quidam accuſabant) iure & cum laude feciſſe ait:* ſed Ieſuitæ perfidiam parumper attendite. Primò quod Sozomenus affirmat non iure & cum laude feciſſe; ſed

ægrè reprehendi potuisse; Secundò quod Sozomenum, quem ipse nobilem Historicum appellat, [i] *Gregorius Magnus* mendacij arguat, stupiditatis incredibilis [k] *Baronius*: tertiò quod commentum hoc *Iulianum* scilicet à Christiano fuisse interfectum, a [l] *Libanio Sophista* in odium Christianorum primò inuentum fuerit; cùm alij etiam Ethnici ictum mortiferum in aliquem Persarum referre videantur. In ipso ardore prælij gladio feritur, inquit [m] *Zosimus*; Subita Equestris hasta (cute brachij ejus præstricta) costis perfossis hæsit, in ima iecoris fibra, inquit [n] *Ammianus*. Calistus autem qui (referente *Eutropio*) inter familiares tunc Imperatoris militauit Heroico versu ejus Historiam conscribens, ait, eum vulneratum à dæmone. Ipse verò *Eutropius* disertè affirmat, eum ab vno ab hostibus, et quidem fugiente Conto percussum: quod etiam *Iulianus* ipse in oratione illa quam illi morituro adscribit *Marcellinus* agnoscere videtur; eius verba, vel saltem ei afficta, hæc sunt: [ ideoque sempiternum veneror numen, quod non

i *Epist.* 31. *lib.* 6. *indict.* 15.
k *Tom.* 3. *pag.* 230.
l *Nicephor. lib.* 10. *cap.* 34.
m *Lib.* 3.
n *Lib.* 25.

non clandestinis insidijs, nec longa morborum asperitate, nec delicatorum fine; sed in medio cursu florentium gloriarum, hunc merui clarum è medio digressum ] sic illa, sed Historici Christiani pænè omnes, eius interitum ad specialem Dei digitum referunt, quod & ipsum fassum aiunt, cum manantem ex vulnere sanguinem manu exceptum in aerem spargens, exclamarit; *Vicisti Galilæe*, vel vt narrat [o] *Zonaras: Satiare Nazarene*, vt etiam prædictum erat ab illo *Ludimagistro Antiochinensi*, à quo cum per iocum sciscitaretur *Libanius*, quid rerum tum gereret *Fabri filius*, eum respondisse memorat *Theodoretus* [ huius vniuersitatis artifex, quem tu per risum *Fabri filium* nominas, *Iuliano* loculum fabricatur. ] Ita perijt *Iulianus* ab hoste, vel ab ipso Deo, non à Christiano milite interfectus; licet interminatus fuerit, si ex Persia Victor redijsset [p] se omnes & boues, & Christianos suis Dijs pro victima immolaturum. [q] Corpus autem iam defunctum, (quia Imperatoris licèt perditissimi cadauer) curatum pro copia rerum &

o *Annal. Tom. 3.*

p *Ammianus lib. 25. & Chrysost. cont. Gentiles.*

q *Ammianus ibidem.*

temporis, et vbi olim ipse statuerat conditum fuit. Imo *Iouianus* eius successor, vtcunque Christianus (teste [r] *Cuspiniano*) mira cupiditate properabat (non prohibente hyemis æquitia) *Tharsam* vrbem ad Iuliani tumulum exornandum inuisere, eiusque corpus (inquit *Eutropius*) qui cum *Iouiani* morte suam clausit Historiam, cum cuncta solemnia funeri eius exhibuisset, sepeliuit honorificè

[r] *Iuliano.*

## Cap. IV.

*De Christiana Orthodoxorum, præsertim verò* Basilij *Cognomento* Magni *obedientia erga* Valentem *Imperatorem Hæresi Arriana infectum.*

IVliano successit *Iouianus*; Iouiano *Valentinianus* vir bonus & principatu dignus, qui vbi ab exercitu Imperator esset renunciatus, insigniaque imperij accepisset eisdem militibus paulò post magna vociferatione conclamantibus vt alium quempiam Imperij consortem sibi ascisceret, in hunc modum respondit

respondit: [ut me ad Imperium vos eligeretis in vestra situm erat potestate, (O Milites) at verò postquàm me iam elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro; vobis tanquam subditis competit parere, mihi verò quę facienda sunt cogitare.] Qua responsione audita, milites conticuere, eam subditorũ conditi onẽ esse agnoscentes, ut Principẽ suppliciter compellare, nõ etiã cõpellere arroganter possint. *Valentinianus* tamen non ita multò post, in Imperiũ sibi asciuit Comitẽ, suũ fratrẽ *Valentẽ*, qui Hæresi Arriana infectus, insitit repentè velut nubes grandinis plena, (inquit [f] *Nazianzenus*) & pernicioſè stridens, quæ Ecclesias omnes in quas incidit prostrauit. Hanc persequutionẽ, etiam [g] *Basilius Nazianzeni* coætaneus, in Epistolâ ad Galliæ & Italiæ Episcopos, ita graphicè & ad viuum depingit. [Persequutio nos apprehendit Fratres, persequutionum omnium grauissima. Neque qui affliguntur per Martyrij certitudinem illatas passiones tolerant, neq; Plebs athletas martyrum loco habet, ac veneratur; propterea quòd Christianorum

f *Orat. in laudem Basilij.*

g *Epist. 70.*

anorum nomine tecti sunt persequutores. Verùm iam crimen est quod vehementer punitur, si Paternas quis traditiones diligenter obseruet, ob hanc causam paternis sedibus abiguntur pij, & ad solitudines migrare coguntur, nulla est apud iudices iniquos cani capitis reuerentia, nulla exercitæ pietatis, nulla conuersationis ad Euangelij normam, ab adolescentia ad senectam vsque peractæ, sed cùm nemo sceleratus sine certis iudicijs condemnatur, Episcopi sola intercedente calumnia, damnantur, & nulla euidenti probatione assertis ac Corroboratis Criminationibus, supplicijs traduntur. Nonnulli ne nouerunt quidem accusatores suos, neq; tribunalia viderunt, neque delati sunt primùm: sed nocte intempesta, vi abrepti, in exilium fugati sunt, solitudinis calamitatibus ad mortem vsque traditi: Quæ verò ista concomitentur, neminem latet, etiamsi nos sileamus; exilia presbyterorũ, exilia Diaconorũ, touſq; Cleri depopulationes. Necesse enim est, vel adorare imaginem, vel sæuæ flagrorũ flammæ tradi, gemitus plebis, la-

lachrymę continuę per ſingulas domos, & publicè omnibus qui patiuntur inter ſe cõplorantibus; Nemo enim corde eſt vſq; adeò lapideo, ut patre priuatus placidè ferat orphaniam, ſonitus lamentationum in ciuitate, ſonitus in agris, in vijs, in ſolitudinibus: vox vna omnium miſeranda ac triſtia loquentium; Sublatum eſt gaudium & lætitia ſpiritalis, in luctum mutatę ſunt Feſtiuitates noſtrę, domus precationum clauſæ ſunt, Altaria cultu ſpiritali vacant, nulli ampliùs Chriſtianorum cætus, nulla doctorum præſidentia; ceſſarunt doctrinæ ſalubres, ceſſarunt Panegyres, Hymnodiæ nocturnæ non habentur, neque ſupereſt beata illa exultatio, qua Domino credentium animæ, in Synaxi ac Communione ſpiritalium chariſmatum exhilarantur; hæc ſcientibus ſcribimus, propterea quòd nulla orbis pars eſt, quæ calamitates noſtras ignoret.] Vnde in *Epiſtola* ſequenti ad *Alexandrinos*, in hunc modum patheticè exclamat. An Eccleſias ſuas prorſùs reliquit Dominus? an nouiſſima hora eſt? & hoc pacto initium ſumit defectio, ut iam deinceps

ceps reuelatur iniquus ille filius perditionis? qui aduersatur & extollitur supra omnem, qui dicitur Deus aut numen. Sed in his rebus tam desperatis, tam deperditis, sub Imperatore tam sanguinario, quid tandem Catholicis faciendum consulit Basilius? legatur Sanct. *Ephræm Syrus* ab eo Presbyter ordinatus, eique amicissimus; voluantur, reuoluantur, ipsius, ipsius *Basilij ad Episcopos & Ecclesias orthodoxas Epistolæ*, & illum nihil præter patientiam & preces spirantem, suadentem videbimus. Præsertim verò in Epistola 71. ita suam concludit quæremoniam: Siue temporalis est ista temptatio, ferte eam ut boni Christi Athletæ: siue omnimodo res nostræ traditæ sint corruptioni, ne socordes simus ad ea quæ accidunt: sed reuelationem è cœlis, & apparitionem magni Dei *Saluatoris* nostri Iesu Christi expectemus. Imò cùm ex Edicto Principis modestus vrbis Præfectus cùm sisteret coram Tribunali, & multis modis vexaret populo sui reuerentia ægrè repressо (inquit [u] *Nazianzenus*) suum vexatorem ab ingruente periculo vindicauit.

u *In moxodia.*

uit, qui hac ipſa etiam graſſante perſequutione (quatenùs coniectura aſſequi poſſum) illam orationem ad ſuos clues *Nazianzenos* habuit, in qua non obſtante Imperatoris ſæuitia, de obedientia Principibus præſtanda ita loquitur. [Subijciamur tum Deo, tum alij alijs, tam eis qui Imperium in terra gerunt; Deo quidem omnibus de cauſis, alij autẽ alijs, propter charitatis fœdus, Principibus denique, propter ordinem publicæque diſciplinę rationem. Nec diſſimiliter[x] *Aphrates* Monachus, à quo tota pendebat Ciuitas Antiochena, quem cùm ex Vrbe fugientem Imperatorem conſpicatus eſſet, quò inquit, vadis? atque *Aphrates* modeſtè quidem & prudenter: *pro Imperio tuo precaturus, reſpondit.* Vbi hæc attexitur nota marginalis, *in nullo non conuentu olim Chriſtiani pro Principibus ſuis orarunt:* quin & inuiolabiles eſſe Principum perſonas, inter alios huius ęui Doctores clarè docet *Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenianum*, his verbis, [*Saul antequàm peccaret, vngi meruit: poſt vnctionem, non leuiter offendit; hoc Deus cùm videret, propter oleum*

x *Niceph. ex Theod. li. 11. cap. 2.*

*oleum non tangendum, volens proponere exemplum, pœnitentiam suam professus est, sic enim legitur dixisse Dominum, pœnitet me vnxisse Saul in Regem, & vtiq; potuit Deus oleum quod dederat auferre, sed cùm voluit docere, non debere contingi oleum etiam in peccatore; ipse qui dederat pœnitentiam gessit, igitur Deus, si ut te doceret, quod dedit, auferre non potuit, per quod noluit, tu quis es qui auferes quod non dedisti? & qui parare debebas aures ad audiendum, parasti nouaculum ad relinquendū?*

Postremò sub imperio eiusdem *Valentis* [y] *Procopius* proditor & rebellis captus, & in duas partes arborum ramis distractus est: Diræ insuper sunt habitæ Quæstiones de complurib⁹, qui de vita ipsius Imperatoris consuluissent Magos, Aruspices, vel alios: hos Philosophos (Gentiles puta non Christianos) appellat, tum [z] *Zosimus*, tum & [a] *Ammianus*, quos eo processisse amentiæ vtrique testantur, vt crederent in sua sitū potestate, ut tum Imperatorem ê medio tollerent, tum denuò excitarent: concludam hoc caput cum exemplo magni *Athanasij*, qui hoc Imperatore reg-

y *Sozom. l. 6. Cap. 8.*

z *Lib. 6. ca. 35.*

a *Lib. 29.*

regnante mortuus est. [b] Hic itaq; cum imperatoris iussu, à Præfecto in ius vocaretur, restiterunt Præfecti conatibus *Alexandrini*, nec vim suo Episcopo afferri permiserunt; cùm autem populus confluueret, & ingens tumultus ac turba cieretur, adeò ut omnes seditionem futuram expectarent, Præses de his rebus gestis Imperatorem facit per literas certiorem, & interim Athanasium in Vrbe manere patitur. Multis verò diebus intermissis, cùm iam videretur tumultus sedatus esse, *Athanasius* clàm ex vrbe egreditur, & in locum quendam separatim se abdidit. Tantùm abfuit Sanctissimus Præsul à tumultu aliquo aduersus Imperatoris Edictum vel excitando, vel incitando, ut ad illum sopiendum se è Ciuitate clanculùm subduxerit.

[b] *Sozom. li. 6 Cap. 12.*

L CAP. V.

## Cap. V.

*De vindicta diuina in* Maximum, Gratiani *interfectorem, & obedientiam Orthodoxorum præsertim verò* Ambrosij *in* Valentinianum Iunio*rem*, *Arrianum, &* Theodosium *seniorem.*

DVo *Valentiniani, senioris* Filij, ijdemque *Augusti*, factione Gentilium necati sunt. *Gratianus* quidem à *Maximo*, consp*i*rantibus cum eo Gentilibus Senatoribus: *Valentinianus* verò *Iunior*, proditione *Argobastis* laqueo strangulatus est. *Gratiani* necem ita perpetratam memorat *Paulus Diaconus*. [*Maximus* ab infensis *Gratiano* Militibus & Legionibus exceptus, eundem subita incursione perterritum, atque in Italiam transire cupientem, dolis circumuentũ, per manus *Andragathij* Classis Præfecti interêmit; sed verte folium, & sequenti paginâ videbis hunc ipsum *Maximum* à suis Militibus apprehensum, vinctum, & *Theodosio* traditum; Quem, cùm *Theodosium* viderent oculis ad parcendum

dum compoſitis reſpicere, ipſi Milites Tyrannum à conſpectu Imperatoris abſtrahentes, abſciſſo capite necauerunt, nè eius ſcilicet miſerendi locus eſſet. *Andragatius* verò Comes, qui *Gratianum* peremerat, cognita *Maximi* nece præcipitem ê naui in vicino fluuio ſemetipſum proijciens, ſuffocatus eſt. Quin & [c] *Britanni Maximum* in hac expeditione ſequuti, malè periêre non pauci. *Valentiniani* mortem in hunc modum recenſet [d] *Hieronymus*. [Adoleſcens *Valentinianus* & pænè puer, poſt fugam, poſt exilium, poſt recuperatum multo ſanguine imperium, haud procul ab vrbe, fraternæ mortis conſcia, occiſus eſt, & cadauer exanime ſuſpendio infamatum.] Quod Sozomenum in errorem videtur induxiſſe, dum ſponcaneo laqueo perijſſe eũ affirmat, quòd ſcilicet hæc de ejus obitu cubicularij ipſius ab *Argobaſta* conducti, leui fama ſparſiſſent: Quo extincto, *Argobaſtes* Tyrannum creauit *Eugenium*, eligens ſcilicet hominem, cui titulum Imperatoris imponeret, ipſe acturus Imperiũ: ſed utrique à *Theodoſio* in acie victi *Eugenius*

c *Gild. de excidio Brit. li. 5.*

d *Epiſt. 3.*

*genius* ad Imperatoris pedes prouolutus à militibus interfectus est : *Argobastes* verò fuga lapsus, proprio gladio se perêmit, vbi illud *Claudiani* de *Theodosio* distichon arripere liceat,

*O nimiùm dilecte Deo cui militat æther,*
*Et coniurati veniunt ad classica venti.*

Et de his Principicidis illud *Athalarici* Regis Gothorum, ad *Theodosium*, cuius cùm frequentiam populi Regięq; magnificentiam conspexisset : [d] *Sine dubio, inquit, Deus terrenus est Imperator, contra quem quicunque manū leuare nisus fuerit, ipse sui sanguinis reus erit.* [e] Hunc *Athalaricum*, licèt infidelem & Christianorū persequutorem acerrimum, quia Regem tamen à suis expulsum per honorificè excepit *Theodosius* spatium non exiguum extra Constantinopolim obuiam ei progressus ; cumque confestim extinctus esset, regia sepultura mortuum terræ mandauit, ipso Imperatore præcedente, & tantam sepulturę magnificentiam adhibente, ut tam superbo funere Barbaris omnibus obstupefactis, *Scythiæ* quidem domum redirent, nec armis Romanos ampliùs infestarent, boni-

d *Paulus Diac. in vita Theod.*

e *Ammianus lib. 5. cap. 27. Zozimo li. 4.*

bonitatem principis admirati. Sed ad penſum me reuoco.[f] Hic igitur, de quo ſuprà loquuti ſumus, *Valentinianus*, à *Iuſtina* matre ab Arrianis ſeducta, ipſe Arrianam Hęreſim iam puer imbiberat, & Sanctum *Ambroſium Epiſcopum Mediolanenſem*, matris ſuaſu acerrimè perſequutus eſt: neque tamen Sanctus *Ambroſius* ab Arriano Principe grauitèr oppreſſus oblatum ſibi à *Maximo* rebellante auxilium admiſit; quamuis ſciret eum cum magno & forti Exercitu ex Gallia & Britannia, in Italiam celeritèr contendere, ſuamq; ei opem vltrà polliceri; Nec vllos aduerſus infeſtiſſimum illum Catholicis Imperatorem, vel verbo vel ſcripto vnquam armauit, quanquam id ei facillimũ fuiſſe, ipſe Imperatoris metus oſtendit; qui ducibus ad *Ambroſium* in propria perſona oppugnandum ſollicitantibus reſpondit. [*Si vobis iuſſerit Ambroſius vinctum me tradetis.*] Imò cum Baſilicam intramuranam, ſiue maiorem ab *Ambroſio* ſibi in Arrianorum uſum tradendam poſtularet Imperator, illam tradere libens noluit: ſed nec armis voluit

[f] *Theodor. li. 5. cap. 14.*

uit reſiſtere. g [Non ego me vallabo, inquit, circumfuſione populorum, nec Altaria tenebo vitam obſecrans: ſed pro Altaribus gratiùs immolabor. Exigebatur à me, vt compeſcerem populũ, referebam in meo iure eſſe, vt non excitarem; in Dei manu, vt mitigaret, & ſi *incentorem putarent, in me vindicari oportere, vel abduci in quas vellent terrarum* ſolitudines. Et in h *Concione ad Orthodoxos* habita. *Quid inquit* turbamini? volens, nunquam deſeram, *coactus repugnare non noui: dolere potero, potero flere, gemere potero, aduerſus arma, Milites, Gothos: lachrymæ meæ arma ſunt, talia enim munimenta ſunt Sacerdotis; aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.* Concludit tandem, in ſingulis vobis *Iob* reuixit, in ſingulis Sancti illius patientia & virtus refulſit. Quid enim præſentius dici potuit à Chriſtianis viris, quàm id quod hodie in vobis Spiritus Sanctus eſt loquutus? *Rogamus Auguſte non pugnamus, &c.* Legantur etiam eiuſdem *Ambroſij* tum *Commentarij in* i *Epiſtolam ad Romanos*, tum k *Apologia pro Dauid.* Legatur *Paulinus*, qui ad petitionem Sancti

g *In epiſt. ad Sororem Marcellinã.* 33.

h *Inter Epiſt.* 32. & 33.

i *Cap.* 13.

k *Caput.* 4.

cti *Augustini*, Sancti *Ambrosij* vitam scripsit, & quæ diximus, vera esse ingenuus & candidus Lector deprehendet. Neq; interim tamen huic Episcopo defuit illa μεγαλοψυχία & vigor Sacerdotalis, qui tantũ Præsulem decebat, quem in Imperatore *Theodosio* (ob temerariã cædem in[1] Thessalonicenses perpetratam) à communione remouendo, & ad seriam redigendo pœnitentiam insignitèr exercuit. Tanta præterea fuit sanctitatis fama, vt ipse *Theodosius* dicere soleret, *solum Ambrosium nouis dignè vocari Episcopum*. Tanto denique veritatis candore, vt ne inimici quidem eius suffragãte *Augustino*, in eius scriptis quod arguerent inuenire potuerint. Huic itaq; Capiti quasi columnas hgam *Herculeas*, illam eiusdem diuinissimi Patris in *psalmum 50. Enarrationem*, qua quid ad propositum præsens rotundius, aut liquidius dici vel fingi possit, prorsus excogitare non valeo. In illa igitur verba [*tibi soli peccaui*.] [*Rex inquit, vtiq; erat, nullis ipse legibus tenebatur; quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum, neque enim vllis ad pœnam vocantur. Legibus tuti*

1 *Theodoretus lib. 5. cap. 17. Socrat. lib. 7. cap. 24.*

*Imperij potestate; homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius.*]

## Cap. VI.

*Quomodo* Chrysostomus *se gesserit erga* Arcadium *&* Eudoxiam *sui oppressores.*

THeodosio in Imperio successerunt eius filij *Arcadius* in Oriente, in Occidente *Honorius*, quibus imperantibus celebris illa inclaruit Euangelij Tuba *Patriarcha Constantinopolitanus, Iohannes Chrysostomus*, qui populum aduersus *Eutropium* ipsi *Chrysostomo* infensissimum, ferocientem, orationis suauitate demulcens, ita alloquitur: [m Num igitur molliui animos vestros, aut indignatione expuli? num inhumanitatem extinxi? num ad cõmiserationem adduxi? equidem adduxisse me opinor, idque ex vultibus vestris & lachrymis colligo. Quandoquidem igitur terra cordis vestri, in pinguem & fertilem agrum versa est, age, iam fructum quoq; misericordiæ proferentes, flauentesq; com-

m *Orat. in Eutrop.*

cõmiserationis ſpicas proferentes, procumbamus Regi ad genua, vel potiùs deprecemur benignissimum Deum, vt emolliat iram Regis, & cor illi tenerũ dare dignetur.] Posteà verò, cum *Eudoxia Imperatrix*, coniux *Arcadij*, ſuam Statuam argenteam, Constantinopoli ſuper columnam ex Porphyritide factam, prope magnam Ecclesiam quæ *Sophia* dicitur, dedicari curasset; ibiq; Ludi populares Publicis Saltatorum & Histrionum ſpectaculis celebrari cœpti essent: *Chryſoſtomus* ſiue ritus quoſdam Ethnicos dedicationi admixtos obſeruans; ſiue in Ecclesiæ contumeliam illud factum ratus; ſiue deniq; applauſu & clamoribus populi, inter concionandum impeditus, acerbè in *Eudoxiam* invehitur, & [pro hortatione (inquit n *Socrates*) qua ad Principum animos flecteridos vti debuisset (vtpotę iracundiæ potiùs quam obſeruantiæ indulgens) falsè eos qui eas res fieri mandauerant cauillatus est.] Hanc etiam nimis acrem *Chryſoſtomi* in perorando salſuginem, reliqui huius ætatis ſcriptoris animaduertunt: ſed molitionem aliquam in

n *Lib. 6. cap. 19.*

Rempub. aut in Principum personas neutiquàm. Imò, cùm propter loquendi libertatem, ex Imperatoris iussu in exilium relegatus esset, & populum (quem vnà cum [b] 40. Episcopis sibi habuit deuinctissimum) sui gratia tumultuantem conspiceret: veritus (inquit [o] *Sozomenus*) ne quod sibi crimen læsæ Majestatis cõfictum impingeretur, vel quasi aduersus Imperatorẽ fuisset contumax, vel quasi populum concitasset: tertiò post depositionem die, plebeiam dispersa, circa meridiẽ furtim relinquit Ecclesiam, & ad Occidentalem portam equum suum curans deducendum, ipse Orientali egressus est. Legatur eius [p] *Homilia antequam iret in exilium*. Bone Deus, quanta ibi vnà cum inuicto robore animi patientia? [n]emo vos conturbet, Fratres, orate tantùm: non ego propriæ virtuti confido, habeo Scripturam Domini mei, manum ipsius teneo, illa mihi cautio satis tuta est, illa me securum reddet, & intrepidum. Etiamsi Orbis terrarum cõmoueatur, ego cautionem Domini mei teneo. Vultis vobis recitem Domini Cautionem; Ecce inquit

b *Niceph.* 13. 31.

o *Lib.* 8. *cap.* 18.

p *Hom.* 11.

inquit vobiscum sum, omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.] Et in *Epistola ad Cyriacum*, eadem eiusdem cõstantiæ paritèr & obedientiæ elucet, [cùm à ciuitate inquit fugarer, dicebam intra meipsum: si quidem vult Regina me exulem agere, agat in exilium: *Domini est terra & plenitudo eius*: Et si vult secare, secet; idem passus est *Isaias*: si vult in pelagus me mittere, *Iona* recordabor; si vult in caminum ini jcere, idem passi sunt tres illi Pueri: si me foris vult obijcere, obijciat; *Danielis* in lacum Leonibus objecti reminiscar: si me lapidare vult, lapidet; socium habeo *Stephanum* Proto-Martyrem: & si caput tollere vult, tollat; habeo socium *Iohannem Baptistam*: & si substantiam auferre, auferat; nudus exiui ex vtero matris meæ, nudus etiam reuertar.] Vox hercle digna, & fideli subdito, & infracto Præsule, neq; alia illi post reditũ mens. [Dicite mihi, inquit, quomodo persequuti estis Lupos? quomodo pepulistis Patronos? frequenti scilicet oratione ad Deũ, quomodo despexistis adulteros? continuis lachrymis ex desiderio viri.

Non accepi arma, non sumpsi lanceas, non arripui scutum, solummodo ostendi pulchritudinem meam, qua perspecta vulnerati fugerunt.] Neque aliud invenire est in eius *Epistolis* ab exilio missis, siue ad *Episcopos & Presbyteros* ob pietatem in carcere inclusos; siue ad *Olympiam* fœminam cùm primis illustrem, siue ad *Innocentium Pontificem Romanum & Episcopos Occidentales*, qui facilè *Honorium* Occidentis Imperatorem, & Christi studiosissimum, ad arma in fratrem *Arcadium* capienda excitassent, si suasisset *Chrysostomus*. Imò ipse *Innocentius* Romanus Pontifex (referente q *Nicephoro*) *Chrysostomo* hunc in modum rescribit. [Ex literis dilectionis vestræ, quas per Germanum Presbyterum & *Cassianum Diaconum* ad nos dedistis, scenam malorum quam ob oculos posuistis, amica sollicitudine cognoui, & quibus ærumnis malisque fides laboret, repetita sæpiùs lectione perspexi. Cui rei sola patientię consolatio medetur; dabit enim breui Deus noster afflictionibus tantis finem; quas sustinuisse proderit.] Idem tamen *Nicephorus*, ejusdem

q lib. 13. cap. 32.

ejusdem libri cap. 34. huius Pontificis stilum mutat, & in Imperatorem *Arcadium* & *Eudoxiam Imperatricem*, ita tragicè fulminantem introducit. [*Vox sanguinis fratris mei Iohannis clamat ad Deū, contrate, O Imperator: sicuti quondam Abel iusti, contra Parricidam Cain, & is modis omnibus vindicabitur:*] vbi in sequentibus *Eudoxiam* sempiterno deuouet supplicio, vtróq; autem à sacrorum perceptione mysteriorū solenniter excludit; huius item Anathematis meminit *Gelasius in Epistola ad Anastasium* supposititia, quæ reuerâ est [r] *Gregorij 7. ad Heremannum Episcopum Metensem.* Hęc si scripsisset *Socrates* qui illius temporis res gestas præsens vidit, facilè fidem adhibuissem: sed dic sodes, cur tibi *Nicephore* crederem post mille annos, rem gestam scribenti, & profitenti te velle antiquorū scriptis addere quæ deesse iudicares? cuius apud *Socratem* & *Sozomenum* (*Arcadij* & *Innocentij* coætaneos) est altum silentium; imò non silentium, sed tuæ narrationi planè contradictorium. In eo nimirum quod *Innocentius* eisdem literis quibus *Arcadiū*

r *In Regi Hro. lib. 8. Epist. 21.*

& *Eudoxiam* anathemati subijcit è vita excessisse affirmet: cùm tamen *Eudoxia* ante *Chrysostomum* fato cessisse, tum ex [s] *Socrate*, tum [t] *Sozomeno* liquidò constet. Sed demus excommunicasse, non tamen è Majestatis solio deturbauit, nó Coronam à capite, Sceptrum è manu excussit, non subditos à iuramento fidelitatis exémit; non denique eorum personas sicarijs & parricidis exposuit; quod si fecisset & superuixisset; *Chrysostomus*, licèt in *sua* causa certè reclamásset, quod partim ex eius *Commentarijs in* [u] *Romanos*, partim etiam & planiùs ex *Homilia de Dauid & Saul* innotescit: in qua eloquentiæ quasi torrente auditorum animos influens ita fatur. [Vidistis tensa retia, vidistis venatorem erectum, vidistis omnes adhortantes, vt ensem in hostis pectus immergeret, nunc mihi Philosophicam animi moderationem spectà, luctum, victoriam, coronam. Spelunca campus erat, luctatus est *Dauid*, pugilem egit, iracundia *Saul*, certaminis materia, Agonothetes Deus: quin potiùs non ipsi modò aduersus seipsum erat prælium, sed aduersus

[s] *Lib. 6. cap. 20.*
[t] *Lib. 8. c. 27. & 28.*
[u] *In c. 13.*

ſus commilitones; Etenim ſi voluiſſet parcere *Sauli* conſentaneum erat, ut illos metueret, ne ipſum trucidarent in ſpelunca. Probabile eſt enim ipſos dixiſſe; errones exuleſque facti ſumus, domo, patria, cæteriſq; omnibus excuſſi, & omnium difficultatum tuarum conſortes ſumus, & tu horum authorem in manus traditum cogites dimittere? ne nobis vnquam liceat reſpirare? ſi tuam ſalutem negligis, noſtræ vitæ parcas. Non tibi dolent anteacta, neq; memor es eorum, quę ab illo perpeſſus es mala; Certè ob ea quę futura ſunt, tolle hoſtem, ne maiora & acerbiora perpetiamur; Verum nihil horum iuſtus apud ſe perpendebat, unum ſpectabat quo modo poſſit redimiri patientię corona. Allegant rurſum Milites diuinam authoritatem; Deus inquientes illum tradidit, quò promptiùs iret ad homicidium: non enim inquiunt, tuam vicem vlciſceris, Deo ſubſeruis, ejus miniſter es, illius ſententiam comprobas: ſed quo magis hæc illi dicebant, eo magis hic pepercit hoſti; intelligebat enim, quòd Deus ideò tradiderat eum, ut ipſi maio-

maiores occasiones probandæ virtutis suppeditaret. Ait ergò, *Rex est qui præsidentium in nos suscepit, Christus Domini est, non ab humano honore, sed à cælesti iudicio sumpto honorifico testimonio, contemnis conseruum tuũ sed reuerere Dominum, aspernaris electum? metue eum qui elegit*; nec pepercit tantum; sed & excusationem pro eo composuit, nec permisit, ut alij occiderent; sed perinde ac si aliquod depositum suæ fidei creditum accepisset, pro quo rationem esset redditurus non attigit, alios coercuit Satelles optimus & custos corporis pro hoste factus; *Etenim si vulgares istos Principes ab Imperatore designatos, etiamsi sint improbi, si fures, si prædones, si iniusti, si deniq; quodcunq; aliud fuerint, timemus cum horrore, non propter malitiam despicientes eos, sed propter dignitatem illius à quo electi sunt reuerentes, multo amplius id facere conuenit in his quos elegit Deus*, nondum Deus abdicauit illum Principatu, nondum fecit eum ex Rege Priuatum. Itaq; ne inuertamus ordinem, neq; rebellemus Deo, Apostolicum illud dictum factis præstantes, quoniam

quis-

quisquis resistit Potestati, dei ordinationi resistit.] *Chrysostomo* adiungere liceret illud nobile doctorum par, *Hieronymum* & *Augustinum*, duo magna Occidentalis Ecclesiæ luminaria; quorum ille de *Dauidis* pœnitentia post cumulatum adulterio homicidium loquens, eum dixisse ait: *Tibi soli peccaui quia Rex erat, & alium non timebat.* Quod idem planius & plenius S. *Ambrosius* in sua *Apologia pro Dauid*, vt anteà, explicauimus. Aut igitur *Dauid* qua Rex erat, nullum nisi Deum superiorem agnoscebat, cui supplicium dare deberet: aut falso & arroganter, Deo soli se peccasse iactitabat. Hoc autem viro, cætera pio prudentiqùe & diuinitùs etiam afflato, absit impingamus; neq; absimilis illa * Regis Philosophi leni ac placido ingenio Principis ab hac Regis Prophetæ vox, *Nemo nisi solus Deus, iudex principis esse potest*. Finio cum testimonio *Beati Augustini*, qui præter allegationes (ab eius scriptis in superioribus citatas) in duabus Epistolis ostendere satagit, persequutionem Tyrannorum esse probationem iustorum, nec à

* Xiphil. *in Dione, in vita Marci Anton. philosophi.*

Deo

Deo coronari audaciam in reſiſtendo; ſed in ferendo patientiam. *Epiſtola* prior *Vincentio* ſcripta ita ſe habet: [7 terror temporalium Poteſtatum, quando veritatem oppugnant iuſtis, fortibus, glorioſa probatio eſt, infirmis periculoſa tentatio: non eſt tamen Poteſtas niſi à Deo, qui autem reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Siue enim Poteſtas veritati fauens aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus, ſiue inimica veritati in aliquem ſæuiat, laudem habet ex illa qui victor fuerit coronatus.] 8 Poſterior *Epiſtola Donatiſtis* directa (qui nimis procacitèr & petulantèr Majeſtatem Imperatoriam conculcabant,) ita priori ſuffragatur: [Imperatores ſi in errore eſſent (quod abſit) pro errore ſuo contra veritatem Leges darent, per quas iuſti & probarentur & coronarentur?] Non dicit ad arma confugerent & coronarentur, nec à juramento fidelitatis deficerent & coronarentur: ſed probaretur eorum conſtantia, & coronaretur patientia.

7 *Epiſt.* 48.

8 166.

entia. Tam enim malos quàm bonos Principes esse à Deo constitutos, ipse alibi testatur *Augustinus*. [a Non tribuamus dandi Regni & Imperij Potestatem, nisi soli Deo vero, qui dat felicitatem in Regno cœlorum solis pijs; regnum verò terrenum, & pijs & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet. Qui *Mario* Imperium dedit, ipse *Cæsari*, qui *Augusto*, ipse & *Neroni*, qui *Vespasiano* vel Patri, vel Filio suauissimis Imperatoribus, ipse & *Domitiano* crudelissimo; & ne per singulos ire necesse sit, qui *Constantino* Christiano, ipse & Apostatæ *Iuliano*. Hæc omnia vnus Deus & verus regit & gubernat, vt sibi placet, & si occultis causis, nunquid ideò iniustis?]

a *Lib. 5. de Ciuitat. Dei. cap. 21.*

CAP.

## Cap. VII.

*De obedientia* Cyrilli, & Concilij Ephesini, *erga* Theodosium Iuniorem, *sui perturbatorem & persequutorem.*

VT inter *Athanasium* & *Constantium Valentem*, & *Basilium*, *Ambrosium*, & *Theodosium Seniorem*, *Chrysostomum* & *Arcadium*; ita etiam inter *Cyrillum Episcopum Alexandrinum*, & in *Concilio Ephesino* Præsidem & *Theodosium* Iuniorem, magna suborta est lis & controuersia, *Candidiano Comite*, Legato ad idem Concilium misso, & *Iohanne Episcopo Antiocheno* falsa Imperatori cõtra eum suggerentibus; vsque adeò, vt & ille & *Memnon Episcopus Ephesinus* in vincula cõjecti fuerint, & præterea omnes Orthodoxi Episcopi numero ducenti ibi contra *Nestorium* congregati, miserrimè oppressi, quod ex ipsius *Memnonis Epistola ad Clerum Constantinopolitanum* patet, vbi hunc in modũ conqueritur. [b Quanta propter veram orthodoxámq; Dei fidem, in Ephesiorum

b *In Actis Conc. Ephesini, tom. 4. & 5.*

rum Ciuitate patiamur, id nulla consequi potest oratio. Turbatio enim turbationẽ sine vlla intermissione excipit. Etenim magnificentissimus *Comes Candidianus*, Milites subinde in nos concitans, totam ciuitatem tumultuationib⁹ implet, omnibúsq; pænè vitæ necessarijs per excubias nos priuat.] Quid interim *Cyrillus* Concilij Præses? quid tota *Synodus*? Cur non suos ad suppetias sibi ferendas per literas sollicitant? Cur non Imperatorem excommunicant? *Candidianum* eius *Legatum* vel è ciuitate exturbant, vel palàm interficiendũ, vel deniq; clam veneno tollendum curant? quid? tota Synodus, eaque Oecumenica, quæ tot habuit cordatos Antistites, quibus maxima Christiani Orbis pars fauebat, tantis lacessita iniurijs, nihil de vindicta Imperatori reddẽda cogitat? prorsùs nihil, quod ex eius *Epistola ad eundem Clerum Constantinopolitanum* apparet, quam vt ad Imperatoriam Majestatem pro se supplex fiat, his verbis cõpellat. [Ad pietatem vestram confugientes, enixè rogamus, vt cum multâ supplicatione & lachrymis, Christo

c *Ibidem.*

sto deditissimum Imperatorem accedatis, illumq; de omnibus quę contra nos geruntur dilucidè instruatis : Synodi nomine supplicantes, vt ij nobis restituantur, qui nullo modo à Canonibus sunt condẽnati ; putà sanctissimi Deoq; dilectissimi Episcopi, *Cyrillus* & *Memnon*, tum vt nostri misertus, primo quoque tempore ex hoc ergastulo nos liberet, & si quidem digni sumus qui pientissimi Christiq; amantissimi Imperatoris faciem videamus, hanc ille nobis gratiam faciat ; si verò indigni iudicamur, quibus hoc beneficium obtingat, saltem bona venia ad Ecclesias nostras redire nos sinat, nè hic vniuersi alij morbis, alij mœstitia consumpti pereamus.] Quam verò vnanimis fuerit omnium Patrum in Concilio cõgregatorum, in hac petitione promouenda consensus, ejusdem testatur Epistolæ conclusio : [e Ne autem omnium subscriptionibus aliquod vobis fastidium ingereremus, sat nobis fuit, si soli Præsides communi omnium nomine subscriberent.] Neque huic Synodicæ petitioni dissimilis fuit Cleri *Constantino-*

e *Ibidem.*

*po-*

*politani Concilij* nomine Imperatori exhibitus Libellus supplex. Vos quoque, cum quem decet affectum erga Synodum Sanctam quam convenire iustistis, declarate, quò pias ipsa gratiarũ actiones pro Imperij vestri incolumitate persoluat, & nos quoq; pro Regni vestri stabilitate, deuotas ad Christũ Dominum preces transmittamus, pijssimi Christianissimiq; Imperatores. Neque silentio prætereunda ipsius Synodi ad ipsum *Theodosium* Epistola, qua nõ obstante Imperatoris seueritate, se assiduas ad Deum pro ejus incolumitate preces effundere profitetur. Inscriptio ita se habet:

[f *Religiosissimis Christianissimisq; regibus* Theod. & Valent. *victoribus triumphatoribus semper* Augustis, *sacra Synodus, qua per Dei gratiam vestraq; Maiestatis sanctionem in* Ephesiorum *Metropoli coacta est.* S. 7.

f *Ibidem.*

SEquitur in corpore Epistolæ, [omnes & singuli assiduas Christo Domino pro Regni vestri stabilitate preces

offerimus, etiam atque etiam obſecrantes, vt Chriſtianiſsimum veſtrum faſtigium, quàm diutiſsimè Orbi tueatur incolume. Rogamus proinde dominationem veſtram, vt & illos, *Cyrillum* ſcilicet & *Memnonẽ*, & nos quoq; (omnes enim vinctis vtpote Fratrib' ſacræq; Synodi Præſidibus colligati ſumus) à vinculis tãdem abſoluat.] Poſtremò, vt abundè omnibus ſatisfiat, ipſum audiamus *Cyrillum* in ſuâ *Apologiâ ad Imperatorem*, ita ſub miſsè & modeſtè ſupplicantem: [Decet itaq; excellentes præſtantéſq; naturas, vt ſereno placidóque ſint animo: hæc autem lenitas animiq; ſerenitas, ſingulari modo adeſt diuinæ ſupremæq; illi naturæ, q̃ veſtra Majeſtas pro virib' imitans quandam quoq; huius clementiæ imaginem videtur prę ſe ferre. Siquidem terrenum illud Regnum, cœleſtis illius quoddam ſimulachrum, & quaſi vmbra quædam inter homines iudicatur, vos itaq; ſoli in omnes Imperiũ ſortiti, timore ac manſuetudine ſubditos veſtros in officio continetis, & veluti illuſtrem quandam pacatámq; proſperitatem p vniuerſum Orbem

bem diffunditis. Quare & ego impulsus sum, vt læsam vestrā Pietatem, modestâ quadam defensione placandā existimārim.] *Augusta* quidē hæc de *Cæsarea* Potestate, magnificentius tamē illud & ad præsens propositum accōmodatius, ejusdem B. *Cyrilli* in Principio *libri sui de rectâ in Christū fide ad Theodosium Imperatorem* nuncupati: [Vt summo illi numini, omne genu incuruatur, Thronique, Dominationes, Principatus, ac Potestates prona submittentes colla, congruis illud laudib⁹ ac hymnis venerantur: ita in vestrâ quoq; serenitate apprimè conspicua & glorioſa, venustam quandam summæ illius gloriæ imaginem intueri licet; vos etiam omni terreno fastigio superioris amplissimarum dignitatum fontes estis, vos humanæ fœlicitatis principia & origines.] *Cyrillo* suffragatur eius σύγχρονος [g] *Theodoretus*: [cum vult, inquit, eos qui peccant, castigare, eos etiam à malis Magistratibus regi permittit. Dabo enim adolescētulos Principes eorum, & illusores dominabuntur eis. Concludā hoc caput, cum illo *Prosperi* [h] Epigrāmate.

g *In 13. ad Rom.*

h 34.

*Reddendum eſt quicquid mundi benè poſtulat ordo,*
*Propoſitumq́, pia non violat fidei.*
*Mitibus & ſanctis nulla eſt ſpernenda poteſtas,*
*Æquũ ſeruire eſt regib' & dominis.*
*Vt Chriſti famulis ad verum proſit honorem,*
*Dilexiſſe bonos & toleraſſe malos.*

## Cap. VIII.

*De obedientia Orthodoxorum omnium, imprimis verò Romanorum pontificum erga* Anaſtaſium *Imperator. Eutychianum.*

ANtequam *Anaſtaſij* Imperatoris res geſtas aggrediar, operæpretium erit in tranſitu, *Valentiani Iunioris*, qui in Occidente imperauit interitum, & paritèr in Regicidam Dei vnidictam, breuitèr enarrare, Occiſus igitur eſt *Valentianus* in campo Martio ([i] ait *Caſſiodorus*) dolo *Maximi* ([i] addit *Marcellinus*) per *Oſtiam* & *Tranſtilam* ſatellites; cauſam verò cur inſidias Imperatoris vitæ

[i] *Vtriq; in Chron.*

vitæ *Maximus* tetenderit, hunc in modum explicat [k] *Procopius.* [*Maximus* quidem fuit è Senatoribus unus, ac è ſtirpe illius Tyranni, quem *Theodoſius* Senior ſuſtulerat, pro quâ victoria Romani quotannis feſtum agunt: huic vxor formoſiſſima ſimul & prudentiſſima fuerat, qua *Valentinianus* amore incenſus cùm potiri cuperet, reſqúe admodum ardua foret, rem iniquam excogitauit; *Maximum* iuſſit ad ſe in Palatium venire; quocum talis ludens, auro certo propoſito annulum eius victor nactus eſt, hunc clàm ad vxorem mittit viri nomine, vt quam primùm ſigno perſpecto in Palatium ſalutatum *Eudoxiam Imperatricem* veniat. Illa ſubitò paret, quam certi, (quibus res nota ac mandata erat) protenùs in Aula excipientes, longè in gynæconitidem duxerunt, vbi *Valentinianus* occurrens, vim ei attulit,] Hoc Imperatoris factum, Cęſarea quidem maieſtate indignum, *Maximi*

——— *Animum coquit, & verſat ſub pectore fixum.*

Vnde vim vi repellere meditatur, quod & effecit, inde imperio potitus. Sed quo

[k] *De Bello, Vandalico l. 1.*

cuentu? hercle infausto, & tanta digno audacia. [l] *Genſericus* enim *Vandalorum* Rex, rogatu Eudoxiæ Imperatricis, ingenti Classe in Italiam adnauigans, Romam nullo aduersante facilè ingreditur, *Maximum* è vestigio Romani fugientem insectati, lapidibus obruunt, membratimque discerpunt. Ita *Maximum* insequuta est vltio diuina, quòd in Imperatorē violentas manus iniecere non formidauerit, licèt in suo & vxoris nomine ab infamia vindicādo, & turpissimo facinore vlciscēdo, Regicidarū patronis iustissimè factū videatur: Imò, nō solū in morte, sed & in vitâ post hoc facinus admissū & imperium adeptum, irę Cœlestis pondus sentiebat.] Cū enim omnibus viribus ad principalis apicis abruptum ventum esset (inquit, [m] *Sidonius*) quandam potestatis immensæ vertiginem, sub coronâ patiebatur, nec sustinebat Dominus esse, qui non sustinuerat esse sub domino.] Non ita multò post, ad Imperium Orientale successit Anastasus, qui in Eutychetis & Dioscori lapsi Hęresin, multa Orthodoxis Ecclesijs detrimenta intulit, omnibusque

l. *Idem ibidem.*

m *Lib. 2. epist. 13.*

qúe qui benè de fide ſentiebant inexorabilem ſe præſtitit (inquit *Cuſpinianus.*) Imò teſte [n] *Mariano Scoto* Catholicos diuerſis plagis & mortibus (tanquam alter *Attilas*, cognominatus flagellum Dei) inſectatus eſt. Hunc *Gelaſius*, *Anaſtaſius*, & *Symmachus* Romani Pontifices, ſuis diuerſis compellârunt Literis, ut ad ſanam mentem rediret; imò *Hormiſdas*, *Symmachi* Succeſſor, (referente *Vrſpergenſe*) miſit ad eum *Euodium Ticinenſem Epiſcopum*, cum alijs Catholicis, ut eum reducerent ad regulam Catholicæ fidei; ſed ille, non ſolùm monita eorum ſalubria ſpreuit; verumetiàm à conſpectibus ſuis, non ſine iniuria expulit, nauiqúe veteri & fragili impoſitos, ne vſpiàm per totam Græciam, ciuitatem intrarent, præcepit; Neque interim tamen quiſquam Romanorum Pontificum in illum debachantur, aut ſubditas eius ad arma in illum capeſſenda ſollicitat, licèt ſuapte natura tumultuantes, [o] ſeditione in illum mota, quod ille hanc clauſulam [qui crucifixus es pro nobis] Triſagio additam voluerit, & Aulicos Ortho-

[n] *In Chron. lib. etat. 6.*

[o] *Euag. lib. 3. cap. vlt.*

doxos p *Iuſtinum* & *Iuſtinianum* (vtroſque poſtea *Auguſtos*) ad internecionem deſtinauerit; immò *Gelaſius* q *in Epiſtola ſua ad Anaſtaſium*, humilitèr ſupplicans, illum Clementiſſimum & glorioſiſſimum *Auguſtum* appellat, & Dei in terris Vicarium. Inſupèr omnipotentem Deum orat, ut regnum eius & ſalutem perpetua protectione cuſtodiat, & denique ſub conſpectu Dei purè & ſincerè pietatem eius deprecatur, ut petitionem ſuam non indignantèr accipiat. Quare miror r *Gratiani* ſtupiditatem, ubi *Gelaſium* introducit *Anaſtaſio* minitantem, exemplo *Zachariæ* Pontificis, qui [*Childericum* Regem Francorum, non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eò quòd tantæ poteſtati erat inutilis, depoſuit, & *Pipinum*, *Caroli* Imperatoris Patrem in eius locum ſubſtituit]: cùm tamen *Gelaſius* ante *Zachariæ* Pontificatū, & *Anaſtaſius* ante *Caroli* Imperium, vel Childerici Regnum, per ducentos quadraginta annos ad minus fato ceſſerint. Neque tamen illam inſcriptionem emendatam video, in vllo exemplari, vel typis excuſo, vel manuſcripto; nec ab

p *Nicep. h. li. 16. c. 45.*

q *In 2. volum. Concil.*

r *Decret. part. 2. Cauſ. 15 queſt. 6. c. Alius.*

*Augu-*

*Auguſtino, Epiſcopo Terraconenſi* animaduerſam, qui tamen errores *Gratiani* ex induſtria collẽgit: verum in corpore iuris *Canonici* iuſſu *Gregorij* 13. Pontificis Romani edito, illam *epiſtolam* [f] *Gregorio* 7. aſcriptam, reperio. Sed vrgent aduerſarij, Symmachum ſaltem *Gelaſij* ſucceſſorem, hunc Imperatorem *Anaſtaſium* excommunicâſſe; cùm tamen [t] *Euagrius* (à quo hęc ſuſpitio deſumpta) tantùm affirmat, nonnullos tanquam *Concilij Calcedonenſis* aduerſariũ illum è ſacris Tabulis exemiſſe: Hyeroſolymis verò Anathema fuiſſe illi denunciatũ. Addit [u] *Nicephorus* hoc factum cùm adhuc ſuperſtes eſſet; [x] *Martinus* verò *Polonus*, & [y] *Iohannes Marius* hanc excommunicationem attribuunt *Anaſtaſio* Papæ; [z] *Sabellicus*, [a] *Platina*, & *Cuſpinianus Gelaſio*, ſed hęſitanter & timidè, cũ reſeruationibus: *Sunt qui ſcribunt, vt tradunt quidã.* Antiquiores verò, *Rhegino Vrſpergẽſis, Sigibertus Friſingẽſis, Marianus Scotus, Hermannus Contractus, Gotfridus Viterbienſis*, de hui' Imperatoris excõmunicatione, ne ſyllabã quidẽ: imò ipſe *Symmachus* in ſuo ad *Anaſtaſium*

f *In Regiſtro lib. 8. epiſt. 21. Herimanno Epiſcopo Metenſi.*

t *Lib. 3. ca. 34.*

u *Lib. 16. ca. 39.*

x *In Chron.*

y *In lib. de ſchiſm. & Concil.*

z *Ænead. lib. 2.*

a *In vita Gelaſij v. triq.*

*um Apologetico*, tantum abeſt à fulmine in Imperatoris caput eiaculando, vt loco execrationis benedictionem retribuat verba, attendite. [b Ego quidem Dominicis & Apoſtolicis eruditionibus inſtructus, benedictionem ſtudeo tuis Imperator referre maledictis, contumelijs honorificentiam reddere & odijs redhibere charitatem. Sed vide, quæſo, ne ab eo qui ait, mihi vindictam & ego retribuam, quantum à me remittitur, tantum à te cumulatiùs exigatur; an quia Imperator es, nullum Dei putes eſſe iudicium?] Obſerua lector dei iudicium, Imperatori tremendum, non humanum, quòd hic idem Imperator in vita non reueritus, in morte expertus eſt. Cùm enim aliquando tonitrua horrendum in modum reſonarent (inquit c Zonoras) & ipſe perterritus è cœnaculo in cœnaculum deſcenderet, & alios atque alios thalamos ſubiret, in quodam Regio cubiculo mortuus eſt inuentus. Ita d *Zeno Anaſtaſij* prædeceſſor, (qui perinde ac ſibi perſuaſum haberet, ſe minimè totius terrarum Orbis dominatu potiri, niſi in omne voluptatum genus

b *Tom. 1. Biblia 5.*

c *Annal. tom. 3.*

d *Euag. lib. 3. cap. 1.*

genus effusè irrueret, flagitia in tenebris admittere, abiecti & pusilli animi putauit; palàm autem, atque in oculis omnium, (Regale quiddã esse & solo Imperatore dignum.) Tandem Morbo Comitiali correptus; vel vt alij, multo oneratus mero, viuus sepultus est inter mortuos, qui mortuus vixit inter viuos. Vos itaque Monarchiæ & mundi præsides, licèt humanis castigationibus non subijciamini, his tamen exemplis.

*Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.*

Sed ad pensum me reuoco, imperante *Anastasio*, regnauit in Africa *Thrasimundus* gente Gothus, naturâ barbarus, hæresi Arrianus. Hic in initio regni sui Orthodoxos persequutus est; non pœnis corporis, aut supplicijs, ut alij (inquit [e] *Procopius*) sed præmijs ac honoribus, ad deserendam fidem inuitauit; [f] Postea verò temporis progressu, cùm se parùm aut nihil lucratum istiusmodi tendiculis vidisset, adeò acriter in illos desæuijt, vt simul 220, Episcopos Catholicos, & inter illos *Fulgentium Episcopum Russensem*, in insulam Sardiniam

e *De bello Vand. li. 1.*

f *Paulo Diacona de gestis Rom. lib. 15.*

am exilio relegaret. Quid? ducenti viginti Episcopi nihil contra vnum Regem machinari potuerunt? sed se in exilium relegari passi sunt? prorsùs nihil; non quòd vires illis defuerint, sed resistendi voluntas. Imò, non solùm à resistendo aut maledicendo abstinuerunt; sed se regem nihilominùs colere, honorare, palàm & apertè professi sunt. Inter alios autem eruditionis & sanctitatis,

*Fulgore notabilis ipso,*

Diuus *Fulgentius* Regi *Thrasimundo* tres libros dedicauit, vbi in prioris ingressu, hæc habentur verba. [g] Quocircà, cùm pro nostrâ fide in quantum facultatem diuinitùs accepimus, liberè respondemus, nulla contumaciæ seu contumeliæ debemus suspitione notari. Cùm nec Regiæ simus dignitatis immemores, sciamúsq; Deo timorem, honorē Regibus exhibendum (Apostolica, ita nos præmonente doctrina:) *reddite omnibus debita, & paulò pòst, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Huius timoris honorísq; manifesta nobis B. *Petrus* aperuit discretione notitiam, dicens:

g *Lib. 1. de myst. med.*

*sicut*

*ſicut ſerui Dei omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem autem honorificate.*] In fine autem [h] Libri 3. ita demùm concludit: ] oramus autem Deum, vt aures clementiæ tuæ verbo veritatis placidas reddat, & pio cordi tuo lumen ſapientiæ ſpiritualis infundat, vt filium Dei Dominum IESVM Chriſtum ſic honorifices ſicut honorificas Patrem; meretur enim hoc à te, vt eum qui te fecit, Patre tuo meliorē, Patri ſuo (ſecundū diuinam naturam) fatearis æqualem. Quęſo glorioſe Rex, vt in te cōlideres largitatem diuini muneris, & poteſtatem non minuas largitoris, vt qui tēporale donauit regnum, donet etiam ſempiternum: [ Nec Aphricanæ diſſimilis Eccleſia Gallicana, quæ circa idem tempus in *Synodo Agathenſi* congregata, pro vitâ & ſalute *Alarici* Regis etiam Arriani, Deum deprecata eſt: ipſa verò oratio in Actorū Synodalium frontiſpicio reperta, ita ſe habet. [i] Cùm in Dei nomine, ex permiſſu Regis in *Agathenſem* ciuitatem Sancta Synodus conueniſſet, & in S^t. *Andreæ* Baſilica conſediſſemus, ibíque flexis

h *De paſſione Domini.*

i *In Tom. Concil. Volum. 2.*

flexis genibus in terra pro Regno ejus, pro longeuitate populi deprecaremur, vt qui nobis congregationis permiserat potestatem, vt regnũ ejus Dominus fœlicitate extenderet, iustitiâ gubernaret, virtute protegeret, &c.] Post verò Canones succenturiatos, sequitur Epilog': [Gratias Deo primitùs, & Domino nostro Regi agamus, orantes diuinam clementiam, vt hæc eadem facere & docere, per multos annos in honorẽ Domini possimus.]

## Cap. IX.

*De obedientia* Iustiniano *præstita, licèt in Hæresim lapsus fuerit; & testimonio* Agapeti *de immunitate Regum.*

ANastasio successit in Imperio *Iustinus*, *Iustino*, *Iustinianus*, qui p̃ securiori sua suæq; Reginę incolumitate, & tutela, iuramentũ à singulis Prouinciarum Præfectis exêgit, forma & modo sequenti. [k Iuro ego per Deum omnipotentem, & filium ejus vnigenitum, Dominum nostrũ Iesum Christum, & Spi-

k *Authẽt. Coll. 2. Nouel. 8. tit. Iuro ego.*

Spiritum Sanctũ, & per Sanctam glorioſam Dei genetricem,& ſemper virginem *Mariam*, & p quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & p Sanctos Archangelos *Michaelem* & *Gabrielem*, puram conſcientiam,germanúmq; ſeruitium me ſeruaturum, ſacratiſsimis noſtris Dominis *Iuſtiniano*, & *Theodoræ* conjugi ejus,occaſione traditæ mihi ab eorum pietate adminiſtrationis, & omnem laborem & ſudorem, cum fauore, ſine dolo et ſine arte quæcunque, ſuſcipio in commiſſa mihi ab eis adminiſtratione, de eorum Imperio atq; Repub. impendam, & cõmunicator ſum Sanctiſsimæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ [1] Eccleſiæ, & nullo modo vel tempore aduerſabor ei, nec quemcunq; permittam in quãtum poſsibilitatem habeo.] Huic Imperatori ſuam ſchedam Regiam, hoc eſt ſententias de officio Regis Paræneticas dedicauit *Agapetus* magnę & ſacroſanctæ Dei Eccleſiæ Diaconus, quas hunc in modum exorditur. [*Honore quolibet ſublimiorem quum habeas dignitatem, meritò præ omnibus eum qui iſto te exornare eſt dignatus, Deum nempe ſum-*

1 *Non adjicitur Romane.*

*ſummum rectè colis.*] Huius ſententiæ priorem partem, ſuæ in Reges vſurpatę poteſtati damnoſam fore præuidens Romana Curia, illud in margine annotandum mandauit, [m inter ſæculares puras duntaxat:] ſed hanc Gloſſam Textum corrumpere, ex ſequentibus apparet; cum ſententia 21. ejuſdem Tractatus aſſerat idem author, *Imperatoriam poteſtatem Maieſtate eſſe ſimilem Deo, cùm non habeat in terris ſe quicquam excelſius.* Quod benè animaduertentes *Quiroga Archiepiſcopus Toletan*ⁿ, reliquique Inquiſitores *Hiſpanici* in ſuo n *Indice Expurgatorio*, illa poſteriora verba deleri iubent, licèt in ipſo originali Græco, & in omnibus quas vidi tum trãſlationibus, tum editionibus integrè legãtur; nec non in o *Meliſſis Antonij Abbatis*, & p *Maximi* locis communibus: quos libellos, propterea anguror in poſtrema editione Pariſienſi Bibliothecæ Sãctorum Patrum vna litura expungi. Sed dabimus illa deleri, ſupererunt tamen apud eundem *Agapetum*, quæ nõ minùs noſtram cauſam ſtabiliant, aduerſariorum vulnerent: imò iugulent ſententia

m *Index Expurgatorius Rom. fol. 200. & 903.*

n *Pag. 18.*

o *Serm. 1. Tom. 5. Biblio. Sanctæ*

p *Serm. 9. de Magiſtratibidẽ.*

tétia enim 27. Imperatorem hortatur, vt ſibijpſi imponat neceſsitatem leges obſeruandi, rationem ſubnectit; *quia non habet in terris qui ipſum poſsit cogere.* Certè ſi in terris habuerit qui ipſum poſsit iudicare, poſsit deponere, poſſit interficiendum mandare, habuiſſet qui poſsit cogere; ſed illa hercle *Agapeto* doctrina prorſùs fuit incognita, licèt Romano Pontifici, homini inprimis cordato, & inſignitèr erudito: Romano, inquam, Pontifici, auſim confidentèr dicere, licèt Pontificij moderni (his ſe confoſſos ſententijs tanquàm pugionum ictibus ſentientes) de eo ambigāt; ſed qua nixi ratione prorſùs non video; cùm omnes illius Pontificis circumſtātiæ, huic noſtro Diacono bellè quadrēt, nec quicquam impedit Diaconū hunc, vt illum Pontificem Romanis ortum parentibus, q in ſua Paræneſi Attico (vt loquitur q *Baronius*) & exculto ſermonis genere, Græcum referat. Cùm ex Hiſtorijs conſtet etiam, *Agapetū Papam* cum Græcis fuiſſe verſatiſsimum, vtpote qui à *Theodato* Rege (ſuę Reginę *Amalaſunthæ* aſsaſino) miſſus ad Imperatoris

q *In appendice ad tom. 7.*

toris *Iustiniani* iram sopiendam [f] Legatione fungeretur: in qua obeunda, eum cum Imperatore familiariter collocutũ legimus, neq; alia puto *Iustiniano* lingua vsum præter Græcam, quum & ipsi vernacula, siue materna fuerit, & (teste *Cuspiniano* & *Suida*) esset ipse ἀναλφαβήτος, omnium scilicet & artium & Linguarũ prorsus expers. Neq; tum temporis minus vsitatã crediderim Romanis præsertim doctiorib' linguam Græcã (propter frequẽs & assiduũ cum orientalib' cõmercium) quam occidentalib' hodie lingua latina, quam tamen è Germanis, Gallis, Anglis puriſſimè semper & loquuti sunt & scripserũt aliqui, vt vt sit, *Baronio* de stylo Græco Criticũ agenti, non nimis credendũ arbitror, cum suos Tractatus Græcos, in Bibliotheca *Vaticana* repertos, alijs transferẽdos dediſſe, passim fateatur. Postremò, vt ad Authorem huius opusculi obscurandũ asserat ex Actis Synodi Constantinopolitanæ sub *Menna*, constare duos claruisse *Agapetos* vtrosq; Monasteriorum *Archimandritas*, potiùs hoc factum judico (vt rectè idẽ prius obseruauit *Index Expur-*

[f] Zonaras.

*gatorius*

*gatorius Romanus*) vt ostendit quis nō sit ejusdem author, quàm quis sit. In subscriptionib⁹ enim ad acta huius *Concilij* nihil tale reperio, nisi ex errato Typographico; cùm semel tātum vel bis nominetur *Agapetus* Thalassij, q̄ idē alibi quinquiès, aut sexiès ad minas *Agapius Thalassij* appelletur; neuter verò Diacon⁹ Magnæ sacrosanctæ Ecclesiæ, hoc est *Romanæ*, vt ipsi *Romanēses* interpretātur omnes, [t] vno Binio excepto. Qui potiùs quàm admitteret huius orationis Paræneticæ (licèt elegantis & politæ) authorem fuisse Romanū Pontificem, maluit Ecclesiam Constantinopolitanam κατ' ἐξοχὴν Magnam appellari. Sed in his tricis diutiùs immorari non licet, digitum tantum ad horum hominū impostura et strophas intendo, et ad *Iustinianū* redeo, q̄ versus senectutem in [u] *Apththarto docitarum* (corp⁹ Xpi impassibile esse negantium Hæresin lapsus, Sacerdotes et Episcopos, vt sibi assentirētur cōpellere instituit, omnésq; sibi cōtradicētes in exilium mittere minatus est: imò *Eutichium Patriarcham Constantinopolitanū*, et *Anastasium Antiochenum* mirū in modum

t *In Indice ad Bibl. Sanctam.*

u *Niceph. l. 17. c. 31.*

dum exagitauit. Neq; propterea legim' horum vtrumuis, vel ipsum Episcopum Romanū, hunc Imperatorē Anathemate percussisse, q tamen Hæresi insup adjecit q [x] *Prasinos* ipsa in media ciuitate suos trucidantes aduersarios, nō modò Legib' non cohibuerit; sed præmijs psequutus sit. Item q ducem [y] *Belisariū* de Repub. optimè meritum, honorib' pariter & visu indignè priuauerit; denique, q [z] *Tribonianū* pręcipuum Legum Cōpilatorem, hominem Paganum & Christianæ religionis contemptorē, Ærarij Quæstorem creauerit, & in ipso quasi sinu fouerit. Quare humanæ censuræ non obnoxius, diuina puidentia, repentina morte vix sui compos, * ex im puiso pcuss' est. [a] *Audite ergo Reges & intelligite, discite iudices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationū, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniā cùm essetis ministri Regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundum voluntatem Dei ambulastis, horrendè*

x *Euag. l. 4 c. 31.*

y *Crinito l. 9. c. 6.*

z *Cuspin. in vita Iustiniani.*

* *Euag. li. 4. c. vlt.*

a *Sap. 6.*

*rendè & citò apparebit vobis quoniã iudicium durissimũ, in his qui præsunt fiet, exiguo enim conceditur misericordia: potentes autẽ potenter tormenta patientur.*] In hunc Principem nihilominꝰ post ipsius mortem paulo iniquior mihi videtur [b] *Euagrius*, dum illũ ad supplicia apud Inferos luenda fuisse ꝓfectum fidẽter asserit, cuius autoritatem nimis auidè amplexantur, q *Iustinianum* nimiam in Ecclesiasticos autoritatem vsurpasse autumant. [c] *Gregorius* autem *Magnus*, illum nunq nisi summo cum honore & reuerentia nominat, eumq; passim Piæ memoriæ Imperatorem appellat. *Sexta* item *Synodus Romana* in Præfatione, cum [d] beata requie dignatur: *Corippus* verò Poeta funebrem eius Pompam ita versibus describit.

b *Li.5.c.1.*

c *Lib.2.Epist.10.in.dict.11.& lib.3.Epist.4.ind.ct.12.*

d μακαρίας λήξεως.

*Thura* Sabæa *cremant, flagrãtia mellæ locatis*
*Includunt pateris, & odoro Balsamia succo.*
*Cẽtum aliæ species, vnguentaq, mira feruntur,*
*Tempus in æternum sacrum seruantia corpus.*
*Quis memorare potest, tantæ miracula pompæ?*
*Hinc* Leuitarum *mirabilis ordo canentum,*
*Virgineus tonat inde chorꝰ, vox æthera pulsat.*

## Cap. X.

*De teſtimonio* Gregorij Magni, *& interitu* Phocæ Mauritij *interfectoris.*

IVſtiniano ſucceſſit *Iuſtinus Iunior*; *Iuſtino Tiberius*; *Tiberio autem Mauritius*. Illo Imperante, Romanæ Eccleſiæ præſidebat *Gregorius* eius nominis *Primus*, & cognomento *Magnus*: q licèt alicubi renitatur Legi Imperatoris, vt ipſe putabat iniuſtę: quâ prohibuit, ne milites in Monaſteria ſuſciperentur; ibidem tũ fatetur, [e] *Deo reum eſſe qui ſereniſſimis Dominis in omne quod agit & loquitur, purus nõ eſt*. Alibi ẽt conqueritur, ſe Imperatorẽ fatuitatis inſimulaſſe, q licèt oſtendat fuiſſe indignũ & Imperiali majeſtate quæ faceret, & grauitate ſacerdotali quæ pateretur; tandem tũ cum precibus & lachrymis in hunc modum concludit: [f] Inter hæc ergo omnia incerta, ad ſolas lachrymas redeo, petens, vt idẽ omnipotens Deus pijſſimũ Dominum noſtrum, et ſua hic manu regat, & in illo terribili judicio liberẽ ab omnibus delictis inueniat.] Nihil hic animoſus Pontifex de Anathemate, de depoſitione

e *Lib. 11. Indict. 11. Epiſt. 62.*

f *Epiſt. 31. lib. 4. Indict. 13.*

sitione nihil: imò tantum abfuit ab Imperatoris vita, vel aperta vi, vel clādestinis insidijs auferenda, vt à *Longobardorum* & hostium & *Barborũ* sanguine effundendo, se conscientia obstrictum abstinuisse palàm fateatur. Sic enim in *Epistola ad Sabinianum Diaconum*, ipse suo calamo testatum reliquit. [g Si ego in morte *Lõgobardorum* me injcere voluissem, hodie illoꝝ Gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa cõfusione esset diuisa: Sed quia Deum timeo, in morte cuiuslibet hõis me miscere formido,] non inquit, quia *desunt vires*: sed quia *Deũ timeo*. Et certè si in morte cuiuslibet hõis se miscere formidauerit, multo magis Imperatoris. Quare, licet in *Epistolis* suis ad *Phocã Mauritij* interfectorem et successorem, & ad *Leontiam eius Imperatricem*, de eoꝝ imperio p. *Mauritij* necem adepto propter Ecclesiæ pacem exultare & gestire videatur: nihil tõ de *Mauritio* (iam mortuo, sibiq; dum in viuis esset minimè propitio) ignominiosum, virulentum nihil effudisse, multò minùs ejus interitum fuisse machinatum, aut cum *Phoca* con-

g *Epist. 1. lib. 7.*

ſpirâſſe deprehenſus eſt. Imò vt intelligant Regicidarum Patroni, quantum abhorruerit bonus hic & pius Epiſcopus, à ſacris Principum licèt ſceleratorum perſonis temerãdis: audiant illum eorum reprehenſores, nõ gladijs jugulos, ſed linguis tãtum famam impetentes ita monentem, objurgantem (nec pigebat hic ex illo *de Paſtorali Cura Libro* ſuauiſsimo, integram pænè Paginã attexere, cum tanta ſit & perſonæ loquentis grauitas, & loquutionis ad præſens ꝓpoſitum confirmandum claritas. Sic igitur verba ſe habẽt. [h] Admonendi ſunt ſubditi, ne præpoſitorum ſuorũ vitam temerè judicent, ſi quid eos fortaſſe agere deprehenſibiliter vident: ne vnde mala rectè redarguunt, inde ꝓlationis impulſum in ꝓfundiora mergantur. Admonẽdi ſunt, ne cùm culpas præpoſitorum conſiderant, contra eos audaciores fiãt: ſed ſic ſi qua valdè ſunt eorum prauã, apud ſemetipſos dijudicent, vt tamen diuino timore cõſtricti, ferre ſub eis jugum reuerentiæ non recuſent. Quod melius oſtendimus, ſi *Dauid* factum ad medium deducam[a]. *Saul* quippe

h *De Paſtorali Cura. part. 3. adm. 5.*

quippe persequutor, cùm ad purgan dū ventrem spelunca fuisset ingressus, illic cum viris suis Dauid inerat, qui iam tam longo tempore persecutionis eius mala tolerabat. Cùmque cum viri sui ad feriendum *Saul* accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in *Christū Domini* non deberet. Qui tamen occultè surrexit & orā chlamydis eius abscidit. Quid enim p *Saul* nisi mali Rectores, quid per *Dauid* nisi boni subditi designantur? *Saul* igitur ventrē purgare, est prauos Præpositos conceptam in corde malitiā vsq; ad opera miseri odoris extendere, & cogita apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. Quē tamē *Dauid* ferire metuit, quia pię subditorū mentes, ab omni se peste obtrectationis abstinētes, præpositos vitā nullo linguę gladio pcutiāt etiam cùm de imperfectione reprehendunt. Qui & si quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, vt extrema quādam atq; præpositorum mala, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt. Quia videlicet, dū plate dignitati saltēm innoxiè & laten-

tenter derogãt, quaſi Regis ſuperpoſiti veſtem ſecant; ſed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeq; vehementiſſimè, vel de tenuiſſima verbi laceratione reprehendunt. Vnde benè & illic ſcriptum eſt; poſthęc *Dauid* percuſſit cor ſuũ eo q; abſcidiſſet oram chlamydis *Saul*. Facta quippe ꝓpoſitorũ oris gladio ferienda nõ ſunt, etiã cùm rectè reprehendenda iudicantur. Si quandò verò contra eos, vel in minimis lingua labitur, neceſſe eſt, vt per afflictionem penitentię cor ꝑmatur: quatenùs ad ſemetipſũ redeat, & cùm ꝓpoſitę Poteſtati deliquerit, eius cõtra ſe iudiciũ à quo ſibi ꝑlata eſt, ꝓhorreſcat. Nam cùm in ꝓpoſitis delinquim⁹, eius ordinationi q; eos nobis ꝑtulit, obuiam⁹. Vnde *Moſes* quoq; cùm contra ſe & *Aaron* conqueri populũ cognouiſſent, ait: [*Nos enim quid ſumus? Nec contra nos eſt murmur veſtrũ, ſed contra Dominũ.*] Et ne Moralia ab eius *Paſtoralibus* & *Epiſtolis* diſſecture quis putet, teſtimoniũm eius etiam inde petitum accipito. Vbi in illa *Iobi* verba: *Si aduerſum me terra mea clamat, & cum ea ſulci eius deflent*, hunc in modum allegorizat. [i Omnis qui præeſt, ſi puerſa

i *Lib. 2. cap. 15.*

in

in ſubditis exercet, contra hũc terra clamat, & ſulci deflent, quia contra eius iniuſtitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt; ſed perfecti quiq; prauo eius opere ſeſe in fletibus affligunt, quodq; imperiti clamãt & dolent, hoc probatioris vitæ ſubiecti deflent & tacent. Hæc cùm ita ſe habeant, miror hercle quid Romaniſtis in mentẽ venerit, q; inter Epiſtolas S^ti *Gregorij*[k] Priuilegiũ tanquã ab illo S^ti *Medardi* Monaſterio conceſſum interſerãt, in cuius Epilogo hunc in modum

*Proÿcit ampullas & ſeſquipedalia verba.*

[Si quis Regum, Antiſtitũ, Iudicũ, vel quarumcunq; ſæcularium perſonarum, huius Apoſtolicę authoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, aut cõtradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietauerit, vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit: cuiuſcunq; dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel S^t. Dei Eccleſię deſtructor, à cõſortio Chriſtianitatis, & Corpore ac Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſequeſtretur, & omniũ maledictionũ anathema-

k *Lib. 2. Indict. 1. inter epiſt. 38. & 39.*

mate, quibus Infideles & Hæretici ab initio ſæculi vſq; in p̃ſens damnati ſunt, cum Iuda traditore Domini, in inferno inferiori damnetur; niſi digna pœnitentia p̃fatorum Sanctorũ ſibi propitiauerit clementiã, & Fratrũ communem reconciliauerit concordiam.

*Quid tanto dignũ ferat hic promiſſor hiatu?*

Magnificè quidẽ loquitur, & ſatis p̃ imperio quiſquis eſt: Certè nimis pro illo ingenuo *Gregorij* candore & humilitate, qua ſe[1] alibi indignũ Imperatoris ſeruũ; imò puluerem & vermem confitetur. Si igitur hoc Priuilegiũ, in quo tantopere gloriantur, & toties inculcant Pontificiorum Primipili, nõ ita clarè ſpurium & adulterinum demonſtrem, ac ſolem in cœlo lucere; mihi cauſa cadat, ego ſibi lis explodar. Primũ itaq; & palmarium Argumentũ hoc ſit, q̃ in Manuſcriptis Codicibus nec vetuſtis, nec recentioribus, vllibi compareat; vnde in Priore *Editione Romana* ad finẽ Epiſtolarũ tãq; excrementitiũ quid adijcitur, in nouiſſima verò, vt p̃ inde authoritatis obtineret & ponderis, tanq; ipſius corporis natiua & germana pars, inter ipſas Epiſtolas

[1] *Epiſt. 62. lib. 2. indict. 11.*

ſtolas locum obtinet. Secundum Argumentū eſt, ꝙ rex *Theodoricus* & Epiſcoporum aliqui ſubſcribentiū, vtpote *Auguſtinus Cantuarienſis*, & Mellitus *Londonienſis* (ipſo atteſtāte[m] *Baronio*) tū temporis non fuerint inaugurati, qui propterea illam ſubſcriptionem adjectitiam ingenuè fatetur; Tertiū erit, ꝙ datū ſit anno ab *Incarnatione Domini* 594, q̄ dādi formulam, etiā poſt tēpora *Gregorij* 7. inuſitatam fuiſſe, ex eius Actis & Epiſtolis apparet. Quod autē tēpore Gregorij primi, Hiſpani ꝑ æras tantū, reliq; nationes ꝑ Indictiones cōputarent, doctis notius eſt q̄ vt vlteriori aliqua probatione indigeat. Quartum, ꝙ *Gregorius Septimus* in ſua ad *Herimannū Epiſcopum Metenſē Epiſtola*, vbi ex induſtria pro authoritate Pontificia ſupra Imperatoriā quicquid potuit conuaſſauit, hui⁹ tamē Priuilegij non omninò meminerit, licèt illi hoc affingat & *Cæſar*[n] *Baronius* in ſuis Annalibus & [o] *Seuerinus Binius*, nota ad illam Epiſtolā marginali, vtriq; fortaſſis decepti ꝙ ibidem ex alia eiuſdem *Gregorij Magni* Epiſtola ſimile quid, citatis verbis illius Priuilegij allegetur: cū hoc ta-

m *Tom. 8. pag. 65.*

n *Tom. 8. pag. 64.*
o *Ad epiſt. 21. Gregorij 7. Tom. 4.*

tamen discrimine, q̃ non ibi mandet, *vt honore Rex priuetur*, sed tantũ p̃cetur *vt honoris dignitate careat, reumq; tandem diuino iudicio remittit.* Neq; hic negligendum arbitror, q̃ acutissimus [f] Molinęus ad hoc Priuilegium arietandum ex vocabulis obseruauit, è quibus illud imprimis, *Dominus Medardus*, q̃ Gallico idiomati *Mon. S^t Medard* ꝓpriè respondet, Priuilegium ab alicuius Galli cerebello excusum suspitionẽ ingerit non leuem. Taceo, q̃ apud Authores classicos, vix constet, an hoc *Monasterium Medardo* consecratum, tempore *Gregorij* Magni in rerum natura extiterit; cum in vita *Clotarij* vel *Sigeberti* Regũ Francię (quibus illius structurã ascribit è *Surio* [p] *Baronius*, è *Fortunato* [q] *Surius*) apud melioris notæ [r] Historicos nihil tale reperiatur. Peto à benevolo lectore, vt si otiũ & Libri suppetant, dignetur quæ de hoc Priuilegio obseruaui consignatis tabulis euentilare. Sed quid moror? ad Tragicum *Phocæ Mauritij* interfectoris interitum anhelat oratio, quem hunc in modum describit [t] *Nicephorus*. [Hisce rebus ita actis, tumultus ingens vrbem in-

[f] *In defensione fidei Catholicæ Contentæ in lib. Sereniss. Regis Mag. Britan. c. 5.*

[p] *In Martyri. Iun. 8.*
[q] *Ibidem.*
[r] *Vide Paulum Æmilium du Haillan & alios.*

[t] *Lib. 18. cap. 56. idẽ pene memorant Cedrenus & Zonaras.*

inuaſit, & ex illuſtribus & præclaris viris *Photinus* (*Phocæ* q̃ maximè (infectus, nam vxorem eius ille conſtuprarat) cum multitudine magna Imperialem regiã ingreſſus, Tyrannum throno ſuo detraxit, eiq; amicis miniſtriſq; eius, huc atq; illùc dilapſis, ei purpuream veſtem ademit et pullam iniexit, ac mox vinctum ad Heraclium deduxit : ille porrò cum perlibentèr id vidit, tum conuitijs plurimis, coniectis calcibus ei inſultauit, & ſtatim Tyranno manus & pedes reſecari, deinde petulantem eius luxuriã veluti publico monumento traducens, propterea quòd coniugibus multorum vim intuliſſet, pudibunda exſcindi, poſtremoq; omnium caput amputari iuſſit; corpus autem infelicis eius hominis, in Bouem Æneum qui Pergamo allatus fuerat Conijci, Coniectum itaq; in cineres (pro eo atq; par erat) redactum eſt, genere eius reliquo, vnà cum illo extincto : ] ita perijt *Phocas* Imperatoricida atq; ita pereant omnes, qui vnctum Domini, vel manu, vel lingua, vel calamo, vel cogitatione malitioſa tetigerint. [ u *Cùm iudicatur, exeat condemnatus,*

u *Pſal.*108

*tus, et oratio eius fiat in peccatum, fiant dies eius pauci: & Episcopatum eius accipiat alter, fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent: & eijciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alij labores eius. Non sit illi adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eius. Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius. In memoriam redeat iniquitas Patrum eius in conspectu domini: & peccatum matris eius non deleatur.* Vosque interim terræ Domini:

*Vos, quibus Rector Maris atque terræ,*
*Ius dedit magnum necis atque vitæ;*
*Ponite inflatos, tumidosque vultus,*
*Quicquid à vobis minor extimescit,*
*Maior hoc vobis Dominus minatur.*

FINIS.